JACOBI GRETSERI
SOCIETATIS JESU
INSTITUTIONUM
LINGUAE GRAECAE
LIBER SECUNDUS

De Recta Partium Orationis

CONSTRUCTIONE

EDITIO UNDEVICESIMA

QUAE SIT EX USU

AUDITORIBUS IN COLL. SOC. JESU

Ad D. Sebastiani Neapoli.

NEAPOLI. ANN. CIↃ. IↃ. CCC. XXVIII.

EX TYPOGRAPHEO GALLICANO

EPIGRAMMA

AD STUDIOSOS LATINAE LINGUAE.

Qui linguam latiam super aethera laudibus effert,
    Hic nullo argolicam spernere jure potest.
Altera enim alterius proprium defendit honorem
    Gloria, et alterius nititur altera ope.
Aut igitur linguam, quicquid crepet ore, latinam
    Non amat, aut pariter graecam amat et latiam.

AD LECTOREM

Secundus hic liber, amice lector, sicut et primus deditâ operâ paulo copiosior est et verbis et rebus; illud quidem, ut vitetur obscuritas, quae non raró in libros irrepit magno juventutis detrimento, cùm sermonis parcus auctor sententiam suam potiùs innuit, quàm exprimit; hoc veró, ut nihil vel certè perparùm eorum desideretur, quae jure exigas à syntaxi, cujus est communes quasdam et generales praeceptiones partium orationis recté inter se connectendarum praescribere, non interiores linguae delicias et divitias persequi, quas frustra est, quisquis existimat unius libelli angustis finibus circumscribi posse.

Adjunximus autem passim annotatiunculas in gratiam provectiorum

tanquam complementum et auctarium regularum, ex quibus eruditus magister auditoribus suis ea proponet et explanabit, quae maximè videbuntur utilia. Aliquando ostendimus etiam convenientiam, et symphoniam graecae constructionis cum latina, quamvis rariùs. Saepe indicavimus hellenismos, quos latini graecos aemulati monumentis suis intexuerunt. Exempla ex probatis auctoribus plerumque deprompsimus, interdum brevitatis et claritatis causâ attulimus propria, quod ante nos non in pauculis, sed ferè in omnibus praeceptis fecerunt quidam magni nominis grammatici. Omnia denique, quantum ratio et institutum ferebant, ad normam et methodum Emmanuelis nostri conformavimus, ut haec nova syntaxis minùs nova et insolens in manus studiosae juventutis veniret, quae graecè loquendi et scribendi regulas tantò libentiùs et citiùs discet, quantò minùs verbis, ordine et dispo-

sitione à latinis jam cognitis discrepabunt.

Vale, benevole lector, et haec leviora juxtà et graviora studia ad Dei gloriam, salutémque tuam refer.

CAPUT I.

DE

CONSTRUCTIONE

INTRANSITIVA

VERBORUM.

Verbum personale finiti modi antecedit nominativus apertè vel occultè ejusdem numeri et personae. Apertè: ὁ Πλάτων διδάσκει, *Plato docet.* Occultè: τρέχει, *currit*, παίζει, *ludit*, subauditur ἄνθρωπος, *homo*, ἵππος, *equus*, ἔλαφος, *cervus*, vel aliud simile.

ANNOTATIO.

Subticetur nominativus potissimùm in his, λέγουσι, dicunt, φασὶ, ajunt, μυθολογοῦσι, fabulantur, εἰώθασι, solent, φιλοῦσι, assolent, *et in nonnullis impersonalibus*, ἐβρόντησε, tonnit, ἤστραψε, fulguravit; *subintelligitur enim* θεὸς, ἡ φύσις, Deus vel natura. *Neque enim naturae impersonalium*

omnino repugnat habere ante se taci'è vel expresse rectum, ut docet in sua syntaxi, noster Emmanuel; quamvis in regula solius verbi personalis mentio fiat.

EXCEPTIONES.

Exceptio I. Verbum personale finiti modi saepe non exprimitur. Menand. πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν, *avaritia maximum (est) mortalibus malum.* Eurip. πᾶν σύντροφον γλυκύ, *dulce (est) omne id, cui innutriti sumus.* Subauditur in utroque exemplo ἐστὶ, vel τυγχάνει, vel ὑπάρχει.

Exceptio II. Verbum infinitum aut oratio infinita cum articulo generis neutrius agit interdum partes nominativi. Menand. πολλῶν δὲ μεστόν ἐστι τὸ ζῆν φροντίδων, *molestiis referta vita est plurimis:* τὸ ζῆν, pro ἡ ζωὴ *vita.* Philo. τὸ μὲν μηδὲν συνόλως ἁμαρτάνειν ἴδιον θεοῦ, *nihil omnino peccare proprium (est) Dei.*

Articulus omittitur aliquando, ut in illo Ecclesiastici I. ἀρχὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν κύριον, *initium sapientiae (est) timere Dominum.*

ANNOTATIO.

Graeci utuntur verbo infiniti modi pro omni casu, articulo neutrius generis prae-

sedente, τὸ ζῆν, vita, τοῦ ζῆν: ἀφειδὴς τοῦ ζῆν, prodigus vitae: τῷ ζῆν, τὸ ζῆν. *Hinc illa apud latinos*:

Sed pulcrum est digito monstrari et dicier, hic est.

Et, Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.

Et, Scire tuum nihil est. *Horat.* Virtus est vitium fugere.

Exceptio III. Loco nominativi praeponitur nonnumquam verbo genitivus: εἴθε μοι τούτου τοῦ ἀγαθοῦ μένοιτο νῦν, pro τοῦτο τὸ ἀγαθόν, *utinam mihi bonum hoc obtingat.*

Exceptio IV. Nonnumquam vocativus, ut apud Homerum passim: ἱππότα Νέστωρ, pro ἱππότης, *militaris Nestor*, νεφεληγερέτα Ζεὺς, pro νεφεληγερέτης, *Iuppiter nubes congregans.* Aliquando vicissim ponitur nominativus pro vocativo. Luc. 8. ἡ παῖς ἐγείρου, *puella surge.*

Homer. ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις, *sol qui omnia vides et omnia audis.*

Exceptio V. Interdum ponitur rectus loco adverbii, sive postponatur, sive anteponatur verbo, εἰσελεύσεται δρομαῖος, ταχύς, *curriculo ingredietur.*

ANNOTATIO.

Similes mutationes casuum ante verbum

personale inveniuntur apud latinos. Hinc tritum illud Ciceronis : Cum illius temporis mihi in mentem venit, *pro* illud tempus. *Et in Verrem*: Fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, *pro* paterna lex Acilia.

Sunt tamen, qui in suprà allato de genitivo exemplo subintelligi velint verbum ἀπολαύω *hoc sensu* : εἴθε γένοιτο μοι τὸ ἀπολαύειν τούτου τοῦ ἀγαθοῦ, utinam mihi copia fiat fruendi illo bono.

Accusativus pro recto in illo Pomponii ponitur : quot laetitias insperatas mihi irrepsere in sinum? *pro* laetitiae insperatae. *Vocativus pro eodem in illo Persii*:

Censoremve tuum vel quod trabeate salutas, *pro* trabeatus. *Rectus saepe apud latinos in locum vocativi subit. Virgil.*

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum, *pro* fluvie. *Solent itidem latini his modis loquendi uti*: matutinus *vel* vespertinus hoc faciam, *id est* mane *vel* vesperi: *pro his enim adverbiis usurpantur praedicti nominativi in hac oratione.*

Quamvis autem hae et similes mutationes casuum ad enallagen spectent, hic tamen, suppresso enallages nomine, earum explicatio instituenda fuit, ut uno in loco, quae cujusque regulae vis sit et proprietas, perfectè intelligatur. Quia verò non modò circa verbum ejusque ca-

sum, sed etiam circa verbi et casus numerum varietas accidere solet, ideo sequentes addendae sunt exceptiones.

Exceptio VI. Neutra pluralis numeri jungunt attici cum verbis singularibus: παιδία τρέχει, παίζει, *pueri currunt, ludunt.* Diodor. τῷ ἀργυρίῳ ὑποτάσσεται πάντα, *pecuniae obediant omnia.* Isocrat. ταῦτα γὰρ στοιχεῖα πρῶτα καὶ μέγιστα τῆς πολιτείας ἐστί, *haec enim sunt elementa prima et maxima reipublicae.*

ANNOTATIO.

Haec constructio attica fere etiam in communem linguam recepta est, quamvis non raro apud auctores nomina neutra pluralia cum verbo plurali juncta reperias. Isocr. ὀλίγα δὲ κατὰ πάντων εἰπεῖν; ἃ τοῖς ἀκούσασιν ὀργὴν ἀξίαν ἐμποιήσουσι τῶν πεπραγμένων, νεώτερος μὲν ὤν, ἴσως ἐξεῦρον, pauca verò de omnibus dicere, quae auditores irà inflammarent, potuissem forte, si junior essem. Thucyd. ἐπιθυμίᾳ μὲν ἐλάχιστα, προνοίᾳ δὲ πλεῖστα κατορθοῦνται, cupiditate paucissima, plurima verò providentià bene geruntur.

Exceptio VII. Quod attici in neutris, idem sibi permittunt nonnunquam alii in masculinis et femininis maximè poëtae. Pind. — μελιγάρυες ὕμνοι ὑστέρων ἀρχαὶ λόγων τέλλεται, pro τέλλονται, *hymni dulcisoni sunt*

laudis posterioris principia. Hesiod. τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαὶ pro ἦσαν, *hujus erant tria capita.* Eurip. ἐνῆν δ' ὑφανταὶ γράμμασι τοιαίδ' ὑφαί, *inerant autem (ei vesti vel tapeti) intextae picturis tales texturae.* Arist. λέγω δὲ ἀρχὰς ἐν ἑκάστῳ γένει ταύτας, ἃς, ὅτι ἐστὶ, μὴ ἐνδέχεται δεῖξαι, *dico autem principia in unoquoque genere illa, quae, quod sint demonstrare non licet.*

Exceptio VIII. Videntur etiam huc spectare illae loquendi formae: ἔστιν οἵτινες τρέχουσιν, οὐκ ἔστιν οἵτινες τρέχουσιν, *sunt qui currant, non sunt, qui currant.* Plato in Minoë: πολλῶν γὰρ ὄντων ἀνθρώπων καὶ ἑλλήνων καὶ βαρβάρων, οὐκ ἔστιν οἵτινες ἀπέχονται συμποσίων, ἢ Κρῆτες, *cùm enim multi sint homines et graeci et barbari, non sunt qui à symposiis abstineant praeter Cretes.*

A N N O T A T I O.

In his et similibus locutionibus jungitur verbum singulare ἐστὶ *cum plurali nomine. Neque latinè reddi possunt nisi numero multitudinis. Non enim rectè dixeris*: non est quî abstineant à symposiis et epulis; *sed*, non est qui abstineat.

Ceterum Pindari graecus interpres in Hymn. 11. *Olymp. ita scribit*: σημείωσαι ἐνταῦθα ΤΟ ΤΕΛΛΕΤΑΙ· οὐδεὶς γὰρ οὔτε τῶν

προγενεστέρων, οὔτε τῶν ἔπειτα, ἐν τοῖς ἀρσενικοῖς ἢ θηλυκοῖς ὀνόμασι, τῷ ἑνικῷ ἀντὶ πληθυντικοῦ ἐχρήσατο, ὥσπερ οὗτος. Nota hîc verbum τέλλεται: Nullus enim neque antiquorum neque recentiorum usus est, sicut iste, numero singulari pro plurali in nominibus masculinis et femininis. *Hinc, ut novitatem hanc effugiat, refert ipse verbum* τέλλεται *à* τέλλομαι, orior, *ad sequentem nominativum* πιστὸν ὅρκιον, *hoc ordine* οἱ μελιγάρυες ὕμνοι ἀρχαὶ καὶ προφάσεις τῶν ὑστέρων ὑπὲρ αὐτοῦ λόγων, καὶ πιστὸν ὅρκιον τέλλεται ταῖς μεγάλαις αὐτοῦ ἀρεταῖς. *Hinc etiam ad testimonia ex Hesiodo et Euripide allata diceret ipse*, ἦν *et* ἐνῆν, *non esse singularis, sed pluralis num. per syncop. Qualis syncope est in illo versu Hesiodi lib.* 1. ἔργ. καὶ ἡμερ.

Τοῖς ἦν χάλκεα μὲν τεύχεα, χάλκεοι δέ τε οἶκοι.
His erant aenea arma, aeneaeque domus.

Ubi interpres Hesiod. ΤΟ' Η'Ν, *ait*, ἀντὶ ΤΟ' Η'ΣΑΝ, ὡς παρὰ Σοφοκλεῖ. Η'Ν ΔΕ' Α'ΜΦΙ' ΠΛΕΚΤΟΙ' ΚΛΙ'ΜΑΚΕΣ. καὶ ἀπὸ τούτου γίνεται κατὰ συγκοπὴν τῆς ΣΑ συλλαβῆς, *sed tamen allatum ex Aristotele exemplum clarum est. Planè autem discrepant graeci à latinis in hac nominum neutrorum cum singulari verbo syntaxi.*

Nomina collectiva, quae à graecis πε-

ριλητικὰ *dicuntur, et quae voce quidem* ἑνικὰ *et singularia, sensu autem* πληθυντικὰ *sunt, et praeterea nonnulla partitiva, consultò hic praeterimus: licet enim cum suo verbo in numero non conveniant, id tamen graecis cum latinis commune est. Virgil.* Pars in frusta secant. Homer. ὣς φάσαν ἡ πληθύς, sic dixerunt multitudo. *Pausan.* τὸ ἔθνος τὸ αἰτωλικὸν ἀπέστειλαν, gens aetolica miserunt. *Lucian.* μηδὲν ἅτερος θατέρῳ λέγοντες ἀκόλουθον, ἀλλὰ μαχόμενα πάντα, ὅμως πείθεσθαί με ἠξίουν, καὶ πρὸς τὴν αὐτοῦ λόγον ἕκαστος ὑπάγειν ἐπειρῶντο, cùm nihil alter alteri consentaneum diceret, sed omnino pugnantia, nihilominus persuadere mihi volebant, et ad suam quisque rationem me ducere conabantur. *Vide Emmanuelem in scholiis regulae communis de nominativo et verbo, adjectivo et substantivo.*

Exceptio IX. Nomina dualia postulant verbum ejusdem numeri: ἄμφω τρέχετον, *ambo currunt:* δύο παίζετον, *duo ludunt.* Aristoph. τί φεύγετον; οὐ μενεῖτον; *quid fugitis? non manebitis?*

Saepe tamen cum verbo plurali construuntur: ἄμφω τρέχουσι, *ambo currunt.* Eurip. ἄμφω δ' ἅμ' ἐξέπνευσαν ἄθλιον βίον, *ambo simul efflaverunt miseram animam.* Aristoph. ἀλλ' ἄνδρε δύο γυναῖκα φεύγομεν μίαν; an duo viri fugimus unam mulierem?

ANNOTATIO.

Eadem omnino ratio est cùm de duobus sine duali nomine loquimur: conjungi enim possunt cum verbo duali vel plurali: Σωκράτης καὶ Πλάτων ἔρχεσθον *seu* ἔρχονται, Socrates et Plato veniunt. *Pind.* 2 *Olymp. plurale junxit cum verbo duali*: μαθόντες δὲ λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες ὣς, ἄκραντα γαρύετον, *pro* μαθόντες γαρύουσι, qui didicerunt, garriunt et nugantur tamquam corvi stultè et insipienter, multiloquentiae avidi. *Neque verò curanda est censura graeci interpretis, cùm addit*: τὸ δὲ γαρύετον, κακῶς. *Cur verò malè? An Pindaro lyricorum principi non liceat, nisi quod grammaticis libet?*

UTRIMQUE NOMINANDI CASUS.

Regula I. Omne verbum personale finiti modi utrimque nominativum habere potest, cùm utrumque nomen ad eamdem rem pertinet; cujusmodi maximè est verbum substantivum, vocativum, et alia, sicut apud latinos: τὸ γῆρας ἐστιν αὐτὸ νόσημα, *senectus ipsa est morbus*: Δημοσθένης καλεῖται ῥήτωρ, *Demosthenes vocatur rhetor.*

Regula II. Verbum quod inter duos nominativos ponitur, convenit apud latinos

cum illo recto, qui verbi basis et fundamentum est, quomodocumque mutetur oratio: apud graecos fit aliquando contrarium. Paus. τῇ πόλει ἐστὶν ὅμορος Κολωνίδες: ἐστὶ pro εἰσί, *Colonides est locus vicinus urbi*: οὗτος ὁ χῶρος Μούκιοι λειμῶνες καλοῦνται. Halicarnass. *Locus hic vocantur agri Mucij.* Latinè dicendum esset, *Colonides sunt*, *Locus hic vocatur.*

ANNOTATIO.

Hoc orationis genus usurpant interdum latini, ut docet Emmanuel. Cic: *in Pison.* Exposui breviter consulatum meum: aude nunc, furia, de tuo dicere; cujus fuit initium ludi compitalicii, *pro* cujus fuerunt. *Plinius.* Angustiae unde procedit Isthmos appellatur, *pro* appellantur.

Regula III. Posterior nominativus saepe mutatur eleganter in genitivum: Ἀριστοφάνης ἐστὶ τῶν κωμικῶν, *Aristophanes est comicus*: Δημοσθένης ἦν τῶν σοφῶν, *Demosthenes erat sapiens.* Sic Horat.

Fies nobilium tu quoque fontium.

ANNOTATIO.

Graecis similiter ut latinis mos est, primam et secundam personam non ex-

primere, nisi cùm discretio aut emphasis significatur. Discretio: *Isocrat.* σὺ μὲν παιδείας ἐπιθυμεῖς, ἐγὼ δὲ παιδεύειν ἄλλους ἐπιχειρῶ, tu quidem eruditionem desideras, ego verò alios erudire aggredior. Emphasis: *Demosth.* τὸν πατέρα ὡς ἀπέκτονα ἐγὼ τὸν ἐμαυτοῦ; egone pàtrem meum interfecerim?

Voces item copulatae plurale vel singulare verbum habent. Arist. σπέρμα δὲ καὶ καρπὸς διαφέρουσι τῷ ὕστερον καὶ πρότερον, semen et fructus differunt priori et posteriori. *Aristoph.* καὶ σὺ καὶ σὺ χαίρετε, et tu et tu salvete. *Arist.* τί δὲ διαφέρει ἡ ἀρετὴ καὶ ἡ δικαιοσύνη αὕτη, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων, quid differat virtus et haec justitia, planum est ex dictis. *Isocrat.* Τελαμῶνος μὲν Αἴας καὶ Τεῦκρο ἐγεννήθη, telamone Aiax et Teucer natus est.

Pari modo verbum plurale nobiliorem personam sequitur. Lucae 2. ἰδοὺ ὁ πατήρ σου κἀγὼ ὀδυρόμενοι ἐζητοῦμέν σε, ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. *Lucian.* ἐγὼ καὶ ὁ πορθμεὺς ἄλλους μετελευσόμεθα, ego et portitor ad alios accedemus.

CAPUT II.

DE

PROPRIA CONSTRUCTIONE

INTRANSITIVA VERBORUM

SUBSTANTIVORUM.

Regula I. Graeci frequentissimè circumloquuntur verba tam activa quam passiva in quocumque tempore per verbum substantivum et participium: Σωκράτης τυγχάνει ἀναγινώσκων, id est ἀναγινώσκει, *Socrates legit.* Soph. οὐ σιωπήσας ἔσῃ; pro οὐ σιωπήσεις; *non tacebis?* Lucian. σὺ δὲ δὴ τί πράττων τυγχάνεις; pro τί πράττεις; *tu vero quid facis?* ἦν ἐκβάλλων, id est ἐξέβαλλε, *ejiciebat.* Isocrat. φλυαρῶν τυγχάνω, *nugor.*

ANNOTATIO.

Verba substantiva sunt εἰμὶ, τυγχάνω, ὑπάρχω, sum: *item* γίνομαι *seu* γίγνομαι, fio *vel* sum. *Apud poëtas verò* κυρῶ, πέλω, πέλομαι, τελέθω.

Est autem constructio haec usitatissima apud graecos, et passim obvia: ἐτύγχανον περιπατῶν, eram ambulans, *id est* ambulabam. *Arist.* ἀνῃρημένος ὑπάρχει, *id est* ἀνήρηται, sublatus est. *Psalm.* 129. γενηθήτω τὰ ὦτά σου προσέχοντα, fiant aures tuae intendentes, *id est* intendant *seu* attendant, προσεχέτω. *Soph.* μέν᾽ ὡς κυρεῖς ἔχων; mane ut habes?

Latinis non est haec syntaxis valde familiaris. Plin. Coluber est in aquis vivens, *id est* vivit in aquis. *Cic. de Orat.* Est, ut scis, quasi in extrema pagina Phaedri, his ipsis verbis loquens Socrates. *Plautus*: Quos semper videas esse bibentes in oenopolio, *pro* bibere. *Ovid.*

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, *pro* pendent. *In sacris tamen litteris saepissime occurrunt hujusmodi verborum periphrases.*

Regula II. Similibus verborum circumlocutionibus serviunt alia itidem verba: ut μέλλω, ἔχω: μέλλω γράφειν, id est γράψω *scribam*: ἔχω λαβών, id est ἔλαβον, *accepi.*

ANNOTATIO.

Hinc illa formula acceptilationis in Institut. juris lib. 3 *tit.* 30. ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβών, accepisti tantum pecuniae? accepi.

Addunt aliqui praedictis verbum φθάνω: sed non videtur addendum. Nam ἔφθην ποιήσας, ἐφθάκειν πυθόμενος, non significant absolutè, feci *vel* audieram: *sed* anteverti *seu* anticipavi faciendo *vel* audiendo: *seu quod idem est*, priùs feci, priùs audieram. *Multo minùs dicendum est, verbum hoc, aliave, quibus in periphrasi verborum utimur*, παρέλκειν, *et supervacanea esse. Nam quae superflua sunt, omitti queunt eodem manente sensu. Lucian.* παίζεις ἔχων, ludis. *Aristoph.* ληρεῖς ἔχων, nugaris, deliras. *Plato*: ποῖα ὑποδήματα φλυαρεῖς ἔχων; quos calceos deblatĕras? *idem*: ἐπιόντος ἄρα θανάτου ἐπὶ τὸν ἄνθρωπον, τὸ μὲν θνητὸν, ὡς ἔοικεν, αὐτοῦ ἀποθνήσκει, τὸδ' ἀθάνατον σῶν καὶ ἀδιάφθορον οἴχεται ἀπιὼν ὑπεκχωρῆσαν τῷ θανάτῳ, ingruente in hominem morte, moritur quidem, ut videtur, id quod in illo mortale est; at immortale, salvum et incorruptum abit cedens morti. *Ex his sententiis si participia ἔχων et ἀπιὼν demas, eamdem retinebis sententiam, et propterea redundant. At si ex locutionibus prioris generis aliquid tollas, haud idem constabit sensus. Neque enim ἔχεις idem significat quod ἔλαβες, quam significationem habet illud ἔχεις λαβών. Sed de vocabulis* παρέλκουσι *et in oratione superfluis legendus est Budaeus in commentarjis linguae graecae.*

Regula III. Eadem verba substantiva construuntur cum participio verbi εἰμὶ, adjuncto alio insuper nominativo. Lucian. ἀεὶ φαιδρὸς ὢν τυγχάνεις, *semper es hilaris*. Barbarè ad verbum, *semper es hilaris existens*. Demosth. οὐ γὰρ ἐχθρὸς ὑπῆρχεν ὢν *non enim erat inimicus*.

Regula IV. Eodem modo construitur aliquando verbum πέφυκα, à φύω. Herod. οὐδεὶς οὕτως ἄνθρωπος ἐὼν εὐδαίμων πέφυκε, *nullus homo tam beatus est*.

CAPUT III.

DE

INTRANSITIVA

ADJECTIVI ET SUBSTANTIVI

CONSTRUCTIONE.

Nomina adjectiva, articuli, pronomina et participia cohaerent cum suis substantivis vel adjunctis genere, numero et casu: ἀγαθὸς ἀνὴρ, *vir bonus*: πεπαιδευμένος νεανίσκος, *eruditus juvenis*: ἡμέτερος, οἶκος, *do-*

mus nostra: παῖδε δύο ἀγαθὼ καὶ σπουδαίω, *duo boni pueri et diligentes.*

EXCEPTIONES.

Exceptio 1. Interdum non respondet adjectivum substantivo genere. Hinc apud Homerum: κλυτὸς Ἱπποδάμεια, pro κλυτὴ, *inclyta Hippodamia*: ἀὴρ βαθεῖα, pro βαθὺς, *profundus aer*: αἰθὴρ δῖα, pro δῖος, *dius aether*: et apud Hesiod. λευκοῖσιν φαρέεσσι καλυψαμένω χρόα καλὸν Αἰδὼς καὶ Νέμεσις, *candidis vestibus indutae corpus pulchrum Verecundia et Nemesis.*

ANNOTATIO.

Accidit hoc potissimum in derivatis et compositis tertiae simplicium. Illa enim atticis sub una terminatione communia sunt ut κοινωνὸς, particeps, σκυθρωπὸς, vultuosus, torvus, χρήσιμος, utilis, φρόνιμος, prudens, ἐλευθέριος, liber, κόσμιος, modestus, ἔνδοξος, gloriosus, παράδοξος, admirabilis, inopinus, ἔμπειρος, peritus, ἄπειρος, imperitus, φιλόσοφος, ἀφιλόσοφος, expers philosophiae, πάμφιλος, omnium amicus, πολύφιλος, multorum amicus, ἄφιλος, sine amicis, *et alia hujus classis, quae etiam communi lingua cum masculinis et femininis sub eadem terminatione conjun-*

guntur. At poëtae et attici longiùs progrediuntur, et illa etiam θυραῖος, foris veniens; βιαῖος, violentus, σίγηλος, taciturnus, μεμπτὸς, culpabilis, φορητὸς, tolerabilis, φαῦλος, nauci, piger, λαμπρὸς, splendidus, *et plurima alia communis generis faciunt. Hinc apud Sophoclem,* κρίσις λαμπρὸς, *pro* λαμπρὰ, iudicium splendidum, magnificum. *Idem* ψυχῆς ἀφειδήσαντε, non parcentes vitae, contemptâ vitâ, *ab* ἀφειδέω, non parco, contemno, *pro* ἀφειδησάσα. *Est enim sermo de duabus sororibus:* τούτω τὼ ἡμέρα, *apud Xenofontem,* isti duo dies: τούτω τὼ τέχνα, *apud Platonem,* istae duae artes, *pro* ταύτα τὰ ἡμέρα, τέχνα. *Apud Soph.* ἀρχὴ δωρητὸς, οὐκ αἰτητὸς, imperium donatum, non petitum.

Exceptio II. Fit nonnumquam generis mutatio respiciendo non ad verba, sed ad significationem: κόριον καλλίστη, *nympha pulcherrima:* εὐφυὴς παιδίον, *ingeniosus puerulus:* τέκνον φίλε, *chare fili,* apud Homer. Et apud Synesium: μειράκια εὐτυχεῖς, pro μειρακίσκοι, *juvenes felices.* Et apud Anacr. βρέφος φέροντα τόξον, *infantem gestantem arcum.*

ANNOTATIO.

Idem faciunt latini: ludi Megalesia, ludi Floralia. Centauro invehitur magna, *apud Virgilium: et apud Terentium*, Eu-

nuchum suam. *De quibus Budaeus non procul à fine sui commentarii.*

Exceptio III. Adjectivum neutrum venustè jungitur substantivo masculino aut feminino. Demosth. ἄπιστον ταῖς πολιτείαις ἡ τυραννίς, *infidum rebuspublicis est tyrannis*: idem: πονηρὸν ὁ συκοφάντης καὶ πανταχόθεν βάσκανον καὶ φιλαίτιον, *improbum quid est sycophanta et undique invidum atque infestum.*

ANNOTATIO.

Latine: infida res (est) rebuspublicis tyrannis. *Et*, improba (res) est sycophanta, et undique invida atque infesta. *Latini idem genus loquendi usurpant. Virgil.* Triste lupus stabulis. Dulce satis humor. Maturis frugibus imber. *Silius :* Mite et cognatum est homini Deus. *Virgil.* Varium et mutabile semper Femina.

Volunt nonnulli semper in graecis subintelligi vocem χρῆμα, *quam addidit Epictetus*: ἀθάνατον χρῆμα ἡ ἀλήθεια καὶ ἀΐδιον, veritas res est immortalis et sempiterna.

Exceptio IV. Neutrum singulare construitur interdum cum substantivo plurali: χρήσιμον εἰς ἁγνείαν αἱ νηστεῖαι, *utile quid sunt jejunia ad castitatem.* Vel plurale cum

singulari, idque atticè: οὐδ᾽ὅσια τοῦτο πράττειν, *pro* οὐδ᾽ ὅσιον, *non est aequum hoc facere.*

Exceptio v. Neque conveniunt perpetuò adjectivum et substantivum in numero. Arist. ἐξ ἀμφοῖν ψευδῶν, *ex utrisque falsis.* Isocrat. δύω ποιοῦ καιροὺς τοῦ λέγειν, *duo loquendi tempora constitue.* Hom. δύω νύκτας, δύοτ᾽ ἤματα, *duae noctes et duo dies.* Idem, πάτασσε δὲ θυμὸς ἑκάστου νίκης ἱεμένων, *uniuscujusque cor exsultabat victoriam desiderantis*; ad verbum, *desiderantium.*

Fit hoc maximè in nominibus collectivis. Paus. τὸ πλῆθος ὥρμησεν ἀποκτενοῦντες τὸν μνηστῆρα, *multitudo ruebat ut procum occideret.* Nazianz. καὶ παρεῖναι τὸ στρατιωτικὸν ἔδει τιμηθησομένους, pro στρατιώτας, *adesse oportebat milites, ut honorarentur.* Ubi non tantùm numerus, sed et genus mutatur. Xenoph. εἰσιόντας δὲ αὐτοὺς ὄχλος περιεχεῖτο πολὺς, φοβούμενοι μὴ ἄπρακτοι ἥκοιεν, *ingredientes verò magna circumdabat multitudo, timentes ne frustra venirent.*

ANNOTATIO.

Eodem modo loquuntur latini, ut allatis exemplis docent Budaeus et Emmanuel.

Exceptio vi. Sicut verbum inter duos rectos non semper apud graecos convenit cum

illo, qui verbi basis et fundamentum est, ita neque adjectivum semper convenit cum substantivo basi et fundamento adjectivi. Aristot. διὰ τί οἱ ῥυθμοὶ καὶ τὰ μέλη φωνὴ οὖσα ἤθεσιν ἔοικεν; *cur numeri musici et modi, cùm voces sint, moribus similes sese exhibent?*

ANNOTATIO.

Fundamentum et basis verbi, immo totius orationis, illud censetur, cui aliquid tribuimus, vel à quo aliquid removemus. Dialectici vocant subjectúm *: ut in hac oratione v. g.* Adolescentes probi sunt ornamentum reipubl. Antonius à Cicerone reipubl. pestis appellatus est: *basis et fundamentum est,* adolescentes probi; *hos enim reipubl. ornamentum esse affirmo. Unde etiam verbum numero cum illo fundamento convenit, quomodocumque tandem mutetur oratio. In altera verò sententia basis est,* Antonius: *hinc adjectivum seu participium* appellatus, *cum illo et non cum nomine* pestis, *convenit. At apud graecos id non observatur semper. Nam in illo Pausaniae dicto, supra cap. 1 allato,* τῇ πόλει ἐστὶν ὅμορος κολωνίδες, *basis et subjectum est vox* κολωνίδες; *quo fit ut* εἰσὶν *dicendum fuerit. Similiter in illo Thucyd.* καὶ ὅτι Μυκῆναι μικρὸν ἦν, et quia Mycenae par-

vum quid erat: *dicendum fuit* ἦσαν, *quia vox* Μυκῆναι *basis est, cum de illa alterum illud appositum* μικρὸν *enuntietur. Pari modo in exemplo antea ex Aristotele adducto requirebat ratio communis syntaxeos* ὄντα *vel* ὄντες, *quia verba illa*, ῥυθμοὶ καὶ τὰ μέλη, *sunt subjectum, de quibus quaeritur, quare moribus sint similia. At Aristoteles appositum illud ad proximam vocem* φωνὴ *retulit. Quem loquendi modum imitati sunt latini. Terent.* Paupertas mihi onus visum est et miserum et grave. *Cic.* O delirationem incredibilem! Non enim omnis error stultitia dicenda est: *latinè dicere oportebat*: Paupertas mihi onus visa est. Non enim omnis error stultitia dicendus est. *Quia basis seu subjectum orationis est*, paupertas *et* error.

Exceptio VII. Quorumdam adjectivorum substantiva elegantiùs supprimuntur, quam exprimuntur.

πρὸς ὀρθὴν	Subauditur	γραμμὴν vel γωνίαν, *ad lineam* vel *angulum rectum.*
τὴν ἐπὶ θάνατον ἰέναι		ὁδόν, *ire viam, quae ducit ad mortem.*
ἀξίαν ἀποτίνειν		τιμωρίαν, *dignam poenam solvere.*
ἑτέραν τρέπεσθαι		ὁδόν, *aliâ viâ ire.*

ANNOTATIO.

Sic latinè dicimus, bibere calidam, frigidam, *subintellecta voce* aquam, *et graecè* θερμῷ λούεσθαι, lavari calidâ: ψυχρὸν πίνειν, *id est* ὕδωρ, bibere frigidam.

Exceptio VIII. Substantivum adjectivo, qualecumque illud sit, additum saepe mutatur in genitivum: *οἱ φαῦλοι τῶν ἀνθρώπων*, *homines nauci*: σπουδαῖοι τῶν ἀνθρώπων, *homines frugi*. Polyb. τὰ βαρέα τῶν ὅπλων, *gravis armatura*.

ANNOTATIO.

Idem latini nonnumquam faciunt: nigrae lanarum, *pro* nigrae lanae: ovorum oblonga, *pro* oblonga ova *apud Plinium. Vide Emmanuelem in regula de partitivis.*

Exceptio IX. Adjectivum mutatur aliquando in genitivum nominis abstracti: οἰκονόμος τῆς ἀδικίας, id est ἄδικος, *injustus aeconomus*: στεφανίσκοι ὑακίνθων, id est ὑακίνθινοι, *corollae hyacinthinae*: βωμὸς λίθου, id est λίθινος, *ara lapidea*.

Exceptio X. Cum duo adjectiva concurrunt, alterum fit substantivum. Lucian. γυναικεῖον στρατιωτικόν, *muliebris exercitus*.

Exceptio XI. Ipsa substantiva ponuntur interdum adjectivè: τὴν Ἑλλάδα φωνὴν ἐξέμαθον, *didici graecam linguam*: ἑλληνὶς πόλις, *civitas graeca.*

Exceptio XII. Praepositio cum suo casu fungitur vice adjectivi: ἡδονὴ μετὰ δόξης, id est ἡδονὴ ἔνδοξος, *voluptas honesta*: ὁ μετὰ εὐκλείας θάνατος, id est εὐκλεής, *mors gloriosa.*

CAPUT IV.

DE

CONSTRUCTIONE

ARTICULI PRAEPOSITIVI.

Regula I. Articulus praepositivus convenit cum nomine, pronomine et participio, genere, numero et casu, sicut adjectiva et substantiva, de quibus capite praecedenti diximus: ὁ λόγος, *sermo*, ἡ τιμὴ, *honor*, τό ξύλον, *lignum.*

ANNOTATIO.

De officiis hujus articuli dictum est non-

nihil in grammatica cap. 2 illis in praesentia omissis; attica sunt ista, τῷ πόλεε, τῷ φύσεε, τῷ χεῖρε, τῷ ἡμέρα, τῷ τέχνα. *De quibus jam capite superiori, et libro 1 satis dictum est. Illud etiam Sophoclis in Tyranno peculiare est* : καὶ τοῦ με χρείας ᾧδε λιπαρεῖς τυχεῖν; et quam rem necessariam adeò cupis à me consequi? *pro* τῆς χρείας. *In illis item*, ἡ γναθαίνιον, ἡ γλυκέριον, *potius ad sententiam quam ad structuram respicitur, cùm feminina censeantur, quaecumque mulieribus nomina tribuuntur.*

Regula II. Sicut in adjectivis eleganter aliquando subintelligitur substantivum, ita etiam in articulis: τῇ μὲν ὕδωρ φορεῖ, τῇ δὲ ἑτέρα τὸ πῦρ, subauditur χειρί, *alterá fert aquam, alterá verò ignem*, scilicet *manu:* τὴν ἐμὴν συνῆκας, *intellexisti meam*, id est γνώμην, *mentem et sententiam.*

Regula III. Cum graeci filium aut filiam alicujus significare volunt, faciunt id per articulum masculinum vel femininum genitivo patris matrisve praepositum: ὁ Ἐπάφου, ὁ Φιλίππου, subauditur υἱός, *filius*: *Epaphi filius, filius Philippi*: ἡ Διός, subauditur θυγάτηρ, *filia Iovis.*

Articulus cum genitivo nominis substantivi possessionem effectumque significat: τὰ τῶν φίλων, τὰ τῆς τύχης, *res amicorum*,

res fortunae: τὰ Ὁμήρου, *scripta Homeri*: τὰ Ἀριστοτέλους, *scripta Aristotelis*.

ANNOTATIO.

Interdum idem significat articulus cum nomine, quod nomen, cujus obliquo praeponitur: τὰ τῆς τιμωρίας, *id est* τιμωρία, supplicium: τὰ τῆς εὐθυμίας, *id est*, εὐθυμία, laetitia, *seu* status animi tranquillus.

Regula IV. Articulus neutrius generis praeponitur quibuscumque vocabulis et orationibus τεχνικῶς et pro se ipsis acceptis: τὸ ἄνθρωπος, id est *haec dictio* ἄνθρωπος: τὸ γυνὴ, id est *haec vox* γυνή.

ANNOTATIO.

Conjunguntur articuli non tantùm cum nominibus et participiis, sed etiam cum pronominibus ὁ ὑμέτερος, vester, ὁ ἐμὸς, meus: *cum adverbiis, et praepositionibus et cum verbis infinitivi modi, ut inferiùs suis locis declarabitur. Non habent tamen omnia nomina articulos; nam neque apud latinos omnibus praeponi possunt* hic haec hoc, *quae tria articulo praepositivo aliqua ex parte respondent.*

Ceterùm de collocatione articuli in ipsa orationis structura, non est quod hic di-

catur; *certius et meliùs observatione et lectione auctorum et admonitione quoque magistrorum, quam regulis grammaticorum, discitur.*

CAPUT V.

DE

CONSTRUCTIONE

ARTICULI POSTPOSITIVI

SEU DE RELATIVIS.

Diximus in grammatica capite 2 *articulum hunc respondere relativo* qui quae quod: *de quo sequentes regulas accipe.*

Regula I. Relativum ὅς, ἥ, ὅ, praeponitur interdum antecedenti in eodem genere, numero et casu, sicut apud latinos. Demosth. χρὴ μὰ Δί' οὐχ ἣν Διοπείθης πειρᾶται τῇ πόλει δύναμιν κατασκευάζειν, ταύτην βασκαίνειν καὶ διαλύειν πειρᾶσθαι. Ordo verus hic esset: οὐ χρὴ βασκαίνειν καὶ διαλύειν πειρᾶσθαι ταύτην τὴν δύναμιν, ἣν Διοπείθης πειρᾶται τῇ πόλει κατασκευάζειν, *oportet sanè non perstringere invidiosè, ac convellere*

eas vires, quas Diopithes urbi comparare videtur.

Regula II. Relativum post antecedens positum concordat cum illo non tantùm in genere et numero, sed et in casu. Aristoph. τάλαιν' ἐγὼ τῆς ὕβρεως, ἧς ὑβρίζομαι, *misera ego ob injuriam, quâ afficior.* Isocrat. τοῖς γὰρ ἄλλοις, οἷς ἔχομεν, οὐδὲν τῶν ἄλλων ζώων διαφέρομεν, *aliis quae habemus* (ad verbum *quibus habemus*) *nihil differimus à ceteris animalibus:* χρῶμαι βιβλίοις, οἷς ἔχω, *utor libris quos habeo* (ad verbum, *quibus habeo*): ἐκ τῶν ἐπιστολῶν, ὧν ἔπεμψε, *ex epistolis, quas misit.*

Regula III. Interdum subticetur antecedens. Lucian. δεδέσθω μεμνημένος, ὧν ἔπραξεν, pro ἐκείνων, ὧν ἔπραξεν, *ligetur memor eorum quae fecit.* Xenoph. χαριζόμενον οἵῳ σοι ἀνδρὶ pro τοίῳ, οἵῳ, *gratificantem tali viro, qualis tu es.*

Regula IV. Saepe relativum et antecedens more latinorum construuntur. Halicarn. χάριν οἶδα τῆς τιμῆς, ᾗ με τιμᾶτε, *gratias ago pro honore, quo me honoratis.* Idem, περὶ τῶν νόμων, οὓς ἐσπούδαζον οἱ δήμαρχοι γραφῆναι, *de legibus, quas irrogari volebant tribuni.*

ANNOTATIO.

Graecam loquendi formam expressisse

**

videtur Cornif. ad Herenn. Inter insinuationem, *inquit*, et principium hoc interest, quia principium ejusmodi debet esse, ut statim apertis rationibus, quibus praescripsimus (*pro* quas praescripsimus) aut benevolum aut attentum aut docilem faciat auditorem. *Et Terent.* Restitue in quem me accepisti locum, *pro* restitue me in locum, in quo me accepisti.

Regula v. Si relativum ponatur inter duo substantiva, cum alterutro consentire poterit, etiamsi alterum sit proprium. Lucian. πόλεις ἐκεῖναί εἰσιν, οὓς φάλεοὺς εἶναι νομίζεις, *civitates illae sunt, quos tu specus arbitraris.* Plato. λόγοι μέν εἰσιν ἐν ἑκάστοις ἡμῶν, ἃς ἐλπίδας ὀνομάζομεν, *rationes in singulis nostrûm sunt, quas spes nominamus.*

ANNOTATIO.

Interdum nec cum antecedente nec cum consequente videtur relativum consentire. Marci 12: χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο, ὅ ἐστι κοδράντης, vidua pauper misit duo minuta, quod est quadrans.

Regula vi. Partitivum singulare refertur non raro apud graecos per relativum plurale. Xenoph. κατὰ γὰρ τοὺς νόμους, ἐάν τις φανερὸς γένται ἢ κλέπτων, ἢ βαλαντιοτομῶν,

τούτοις θάνατός ἐστιν ἡ ζημία, *nam secundum leges, si quis furetur, crumenasve praecidat, mors illis mulcta est,* τούτοις, pro τούτῳ. Sophocl. in Antigone:

Ὅστις γὰρ αὐτὸς ἢ φρονεῖν μόνος δοκεῖ,
Ἢ γλῶτταν, ἣν οὐκ ἄλλος, ἢ ψυχὴν ἔχειν,
Οὗτοι διαπτυχθέντες ὤφθησαν κενοί.

Quicumque enim solùm vel sapere, vel linguam, qualem praeter illum nemo alius, animumque se habere existimat, hi repudiati, vacui et inanes conspecti sunt: οὗτοι, *pro* οὗτος.

ANNOTATIO.

Simile est illud Terentii:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quam plurimis et minimè multos laedere,
In his poëta hic nomen profitetur suum.

Licet autem οὗτοι *et* τούτοις *ab* οὗτος, *sint demonstrativa pronomina, saepe tamen usurpantur relativè, ut etiam* hic, haec, hoc, illud.

Regula VII. ἡλίκος, *quantus*, οἷος *qualis*, ὅσος, *quantus*, et cetera id genus nomina, quando relativa fiunt, cum substantivo sequente frequenter genere non conveniunt. Aristot. τὸ δὲ ἔμβρυον γίνεται ὅσον μόσχος δίμηνος ἢ τρίμηνος, pro τὸ δὲ ἔμβρυον, γίνεται τοσοῦτον,

ὅσος μόσχος, *tantus est embryo, quantus vitulus bimestris vel trimestris.* Idem, τῶν ἐλεφάντων ἔμβρυον, ἡλίκον μόσχος ἐστίν, pro ἔμβρυον τηλικοῦτο, ἡλίκος ὁ μόσχος, *elephantum tantus est embryo, quantus vitulus.* Teoph. σπείρουσι δὲ καὶ τὸ καλούμενον ὄρυζον, τοῦτο δὲ ὅμοιον τῇ ζειᾷ, καὶ περιπτισθὲν, οἷον χόνδρος, id est τοσοῦτον, οἷος χόνδρος: *serunt etiam id quod vocatur oryzon; est verò hoc simile zeae, purgatumque tantum, quantum granum.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budaeus in comment. cujusmodi est etiam hoc Theophrasti: πάχος ἡλίκον ὁ δάκτυλος ὁ μέγας τῆς χειρὸς, *pro* πάχος τηλικοῦτον, ἡλίκος ὁ δάκτυλος, crassitudo tanta, quantus magnus est digitus. *Idem*, μεγέθει μὲν ἡλίκος ῥόα τῷ σχήματι δὲ προμήκης, *pro* μεγέθει μὲν τηλικοῦτος (φοῖνιξ) ἡλίκη ἡ ῥόα, magnitudine tanta est palma, quanta malus punica, figurâ verò praelonga. *Ceterum quae et cur dicantur relativa substantiae, accidentis et diversitatis, vide apud Emmanuelem. Relativa accidentis apud graecos sunt;* ἡλίκος, ὅσος quantus, οἷος, qualis, πόσοι, quot, πόσος quotus, ἀνὰ πόσους, quoteni, ποσαπλοῦς, ποσαπλάσιος, quotuplex, ποσαετὴς, quotennis, ποταπὸς, cujas.

CAPUT VI.

DE

PRONOMINE.

REGULA I. Graecis usitatum et liberum est substantivo adjungere genitivum pronominis primitivi loco pronominis possessivi: πατὴρ ἡμῶν, pro ἡμέτερος, *pater noster*: οἶκός σου, pro οἶκος σός, *domus tua*: χειρί ἐμοῦ, pro χειρὶ ἐμῇ, *manu mea*.

ANNOTATIO.

Hinc fit, ut pronomina cum suo adjuncto non semper casu conveniant. Quia tamen possessiva in genitivos primitivorum, et primitiva in possessiva resolvi possunt, ideo facile est pronomen ejusque appositum conciliare in casu: ὁ φίλος μου, ὁ φίλος ἐμὸς, amicus meus. *Oratores plerumque addunt articulum*: ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς, pater meus: ἡ μήτηρ ἡ σὴ, mater tua. *Utebantur autem veteres romani, graecorum exemplo, genitivis primitivorum*

pro possessivis, *ut docet ex Gellio Emmanuel in regulis pronominis*: Si dicere velis *patrem mei*, pro *patrem meum* (*inquit ille*) quo graeci modo, τὸν πατέρα μου dicunt; inusitatè quidem, sed rectè profecto, eaque ratione dices, quâ Plautus dixit *labori mei*, pro *labori meo*. *Cicero praeterea primitivum pro possessivo graecorum more aliquando accepit ut docet Budaeus non longè ab initio sui commentarii.*

Regula II. Pro possessivis usurpantur quoque genitivi compositi, ἐμαυτοῦ, σεαυτοῦ, cùm in eadem persona maneatur. Isocrat. παράδειγμα καταστῆσαι τὸν τρόπον τὸν ἐμαυτοῦ τοῖς ἄλλοις βούλομαι, *meos mores aliis tamquam exemplum ad imitandum proponere volo.*

Regula III. Sicut apud latinos genitivi *mei*, *tui*, *sui* aliquando activè, aliquando passivè usurpantur, ita etiam ἐμοῦ seu μοῦ, σοῦ et οὗ apud graecos. Activè quidem in exemplis supra allatis, passivè in his. Soph. πρὸς βίαν ἐμοῦ, (ad verbum) *ad violentiam mei*, id est *me invito*, *me coacto*. Aeschyl. οὐ γὰρ νενίκησθ', ἀλλ' ἰσόψηφος δίκη ἐξῆλθ' ἀληθῶς, οὐκ ἀτιμίᾳ σέθεν, *non enim victae estis*, *sed parium suffragiorum sententia exivit verè*, *non ad ignominiam tui.*

Regula IV. Ipsa possessiva passivam interdum significationem habent. Plato: καί μοι μηδὲν ἀχθεσθῆς, εὐνοίᾳ γὰρ ἐρῶ τῇ σῇ,

ne mihi succenseas, dicam enim tuá benevolentia, id est *pro mea in te benevolentia.* Homer. ἀλλά με σός τε πόθος, σά τε μήδεα, φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ, μελιηδέα θυμὸν ἀπηῦρα, *sed me tui desiderium et tuae curae, inclyte Ulysses, vitâ privarunt.* Sophocl. τῷ μῷ πόθῳ κατέφθιται, *mei desiderio extabuit.* Demosth. ἐπὶ βλαβῇ τῇ ἐμῇ, *mei laedendi caussâ.*

ANNOTATIO.

Etiam apud latinos passivè reperies possessiva usurpata. Terent. Phorm. Nam neque negligentiâ tuâ, neque il odio fecit tuo, *pro* tui: *idem Heaut.* Facilè scires desiderio id fieri tuo, *pro* tui.

Regula V. Possessivis additur nonnumquam genitivus possessoris seu agentis. Lucian ὅλας δὲ τἀμὰ οὗτοι σπαθῶσι, τοῦ κακοδαίμονος, *hi verò omnino res meas infelicis dilapidant.* Nazianz. ἐμὸς ὁ κίνδυνος, ἐμὸν τὸ γέρας, τοῦ τῆς ψυχῆς οἰκονόμου, καὶ τελειοῦντός σε διὰ τοῦ βαπτίσματος, *meum est periculum, meum ipsius praemium est, animam tuam gubernantis, teque per baptismum perficientis* Homer. δαὴρ αὖτ' ἐμὸς ἔσκε κυνώπιδος, *levir meus impudicae erat.*

ANNOTATIO.

Idem apud latinos fit, ut multis exemplis ostendit Emmanuel. Iam sufficiat illud Horatii Serm. 1. Sat. 4.

——cùm mea nemo
Scripta legat vulgo recitare timentis.

Regula VI. Relativum αὐτὸς dativum habet. Demosth. δεῖ εὔνουν καὶ δίκαιον πολίτην, ταὐτὰ λυπεῖσθαι, καὶ ταὐτὰ χαίρειν τῷ δήμῳ, *oportet benevolum et justum civem eadem dolere et eadem gaudere populo.*

ANNOTATIO.

Ejusdem construct'onis exempla habent latini. Horat. ad Pison. Invitum qui servat, idem facit occidenti: ταυτὸ τῷ κτείνοντι.

Regula VII. Idem ferè usus est reciprocorum οὗ, ὅς seu ἑὸς, σφέτερος, ἑαυτου apud graecos, qui *sui*, *suus*, *suiipsius* apud latinos. Fit enim transitio tertiae personae in seipsam, aut in possessionem ejus aut rei possessae in possessorem. Antocid. ἔφη γὰρ εἶναι ἀνδράποδόν οἱ ἐν Λαυρείῳ, *dicebat enim sibi esse mancipium in Laureo.* Lucian. δεῖται ἐπιμηκεστέραν γένεσθαι οἱ τὴν νύκτα, *petit sibi longiorem fieri hanc noctem.*

Hom. τοῖσιν δ' ἡγεμόνευεν ἑὰ πρὸς δώματα

Νέστωρ, *his praeibat Nestor ad suas aedes.*

Matth. 10. ὁ εὑρὼν τὴν ψυχὴν αὑτου, ἀπολέσει αὐτήν, *qui invenit animam suam, perdet illam.* Demosth. Εὔφραῖος ἀπέσφαξεν ἑαυτόν, *Euphraeus occidit seipsum.* Thucyd. εἴτινες ἴδοιέν πῃ τοὺς σφετέρους ἐπικρατοῦντας, ἀνεθάῤῥησαν ἄν, *si qui videbant alicubi suos vincere, animam recipiebant.*

Exceptio VIII. Pronomina haec accipiuntur interdum non ἀυτοπαθῶς, id est non ita, ut actio reflectatur in seipsam. Nazianz. ἐπειδὴ οἱ φανῆναι πλῆθος πολύ, οἱ pro αὐτῷ, *postquam ei magna multitudo apparuit.* Paus. καί οἱ παῖδα γενέσθαι Φαέθοντα, *eique natum esse filium Phaëthontem.* Hom. ἰδνώθη, θαλερὸν δέ οἱ ἔκπεσε δάκρυ (οἱ pro αὐτῷ in utroque loco), *dolore se incurvavit, et calida ei excidit lacryma.* Thucyd. μέγιστον μεθ' ἑαυτὸν, pro μετ' αὐτόν, *maximum post ipsum.*

ANNOTATIO.

In his locis usurpantur reciproca pro relativis, quod in latina quoque lingua contingit, ut Budaeus et Emmanuel demonstrant. Lucanus:

——quae nox sibi proxima venit
Insomnis, viduo tum primùm frigida lecto: sibi *pro* ei. *Cic.* Res erat et caussa

nostra eò loci, ut erigere oculos et vivere videretur, quisquis erat, qui aliquam partem sceleris clodiani attigisset, quocumque venerat, quod judicium sibi cumque erat, damnabatur: sibi *pro* ipsi. *Plato*: ἐπειδὴ δὲ οὗ ἐκβῆναι τὴν ψυχὴν, πορεύεσθαι μετὰ πολλῶν, καὶ ἀφικνεῖσθαι σφᾶς ἐπὶ τόπον τινὰ δαιμόνιον, cùm autem anima ejus exisset, cum multis ivisse, eosque ad locum quemdam admirandum pervenisse: οὗ *pro* αὐτοῦ, σφᾶς *pro* αὐτοὺς *posito. Ad verbum ita vertitur*: cùm autem anima sua exisset, cum multis ivisse, seque ad locum quemdam, etc.

Porro cum ἑὸς *vel* ὅς, suus, *non modò* τὸν ἴδιον ἑαυτοῦ, *sed absolute etiam* τὸν ἴδιον *significet apud graecos, fit ut in libris graecis et latinis imitatione graecorum nonnumquam reciproca eo loco posita reperias, cui minimè convenire videantur. Plaut. Mercat.* Jubet salvere suus vir uxorem suam. *Cic.* Hic, Tito fratre suo censore, qui proximus ante me fuerat, elapsus est. *Et pro Rabir.* Nec illius animi aciem perstringit splendor sui nominis. *Quibus omnibus locis* suus *idem est quod* ἴδιος, proprius: *sicut et in illo Cic. ad Atticum lib.* 9. Ulciscentur illum mores sui, *et in aliis, de quibus Emmanuel.*

Regula IX. Relativum αὐτὸς ponitur interdum loco reciproci. Nazianz. ὁρῶν οὖν τὴν τοῦ

δήμου κίνησιν ἐπ' αὐτὸν, pro ἐφ' ἑαυτόν, *videns igitur motum populi contra se. Apocalyps.* 9. καὶ ἔχουσιν ἐπ' αὐτῶν βασιλέα, *et habent suum regem*, seu *et habent supra se regem.*

A N N O T A T I O.

Haec relativi in locum reciproci substitutio efficit aliquando orationem ambiguam, ut notat Budaeus: δεῖ γὰρ αὐτὸν βασιλεύειν, ἄχρις οὗ ἂν θῇ πάντας τοὺς ἐχθροὺς ὑπὸ τοὺς πόδας αὐτοῦ. 1 *Cor.* 15. *ubi dubites, inquit Budaeus*, suis *an* ejus *intelligere debeas.* Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.

Regula x. ἀλλήλων, ἀλλήλοις, ἀλλήλους similem habent cum pronominibus constructionem, et latinè redduntur interdum per adverbium *invicem* aut *mutuò*, interdum per nomina *alier alterum*, vel *inter sè*, et reguntur à verbo, cui copulantur. Aristot. τοὺς ἀγαθοὺς χρὴ εὐνοεῖν ἀλλήλοις, *bonos decet inter se esse benevolos.* Idem, ὡς τὰ πολλὰ ἄνθρωποι διὰ τὸ χρήσιμον φιλοῦσιν ἀλλήλους, *ut plurimum homines propter utilitatem dilgunt inter se.*

CAPUT VII.

DE

CONSTRUCTIONE

TRANSITIVA NOMINUM

SUBSTANTIVORUM.

Regula I. Quotiescumque duo nomina substantiva rerum diversarum in oratione continuantur, alterum erit genitivi casus: ἀετοῦ γῆρας, *senectus aquilae*: ἀτυχία τοῦ βίου, *infelicitas vitae.*

EXCEPTIONES.

Exceptio I. Licet substantiva ad eamdem rem pertineant, alterum tamen ponitur frequenter in genitivo: πόλις Ἀθηνῶν, pro πόλις Ἀθῆναι, *civitas atheniensis*: πτολίεθρον Τροίης, pro πόλις Τροῖα, *urbs Troia.*

Exceptio II. Aliquando loco genitivi ponitur praepositio cum suo casu: ἀτυχία περὶ

τὸν βίον, id est ἀτυχία βίου, *infelicitas vitae.*

Exceptio III. Substantivum cum suo genitivo saepe est tantùm rei alicujus periphrasis valde usitata poëtis: βίη Πριάμοιο, *vis Priami* id est *Priamus*: ἰς Τηλεμάχοιο, *robur Telemachi* idest *Telemachus*: συὸς χρῆμα, σῦς, *sus.* Hom. υἷες ἀχαιῶν, *achivi.* Lucian. γραφέων παῖδες, *pictores.*

ANNOTATIO.

Hujus circumlocutionis occurrunt etiam exempla apud latinos. Fortis equi vis, *id est* equus, *apud Lucretium.* Odora canum vis, *id est* canis, *apud Virg.* Mitis sapientia Laeli, *id est* Laelius, *apud Horat.*

Regula II. In nominibus propriis gentis et cognationis omittitur apud graecos substantivum: Ἰάκωβος Ζεβεδαίου, *Iacobus Zebedaei*, nempe παῖς, *filius.* Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου, *Alexander Philippi* παῖς, vel υἱὸς *filius*: Ἀλέξιδι τῷ Ἀριστοδίκου, subauditur ἀδελφῷ, *Alexidi fratri Aristodici*, apud Lysiam. Lucian. Πτολεμαῖος ὁ Λάγου, *Ptolemaeus Lagi filius*,

Interdum additur substantivum: Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς. Eurip. *Polydorus Hecubae filius.*

ANNOTATIO.

Hinc illa apud Virg. Deiphobe Glauci, *nempe* filia. Hectoris Andromache, *nempe* uxor.

Regula III. Adjectiva cum substantivè ponuntur, more substantivorum construuntur; substantivè autem ponuntur potissimûm adjectiva neutra cum articulo τὸ, idemque planè valent, quod abstracta. Demosth. τὸ τοῦ Θεοῦ εὐμενὲς ἡμῖν συναγωνίζεται, *Dei benevolentia nos adjuvat*: τὸ εὐμενὲς, pro εὐμένεια, εὔνοια, *benevolentia*: τὸ νέον τῆς πόλεως, pro ἡ νεότης, *iuventus civitatis*: πρέπει πανταχοῦ τὸ τραχὺ ἀπωθεῖσθαι, pro τὴν τραχύτητα. D. Basil. *asperitatem ubique repellere decet.*

ANNOTATIO.

Valde usitatum est apud graecos concreta pro abstractis ponere, τὸ δίκαιον, τὸ σοφὸν, τὸ εὐσεβὲς, τὸ ἀσεβὲς, *pro* δικαιοσύνη, σοφία, εὐσέβεια, ἀσέβεια, justitia, sapientia pietas, impietas. *Quod non tantum nominibus contingit, sed etiam participiis*: τὸ θυμούμενον, *id est* θυμὸς, ira, odium, *apud Thucyd. et* τῷ ξενίζοντι, *pro* τῷ ξενισμῷ, novitate, insolentiâ, *apud Diodorum.*

Pertinent etiam huc nonnulla, quae supra cap. 3 *commemoravimus*: τὸ ἰωνικὸν τῆς στολῆς, ionica stola: τὸ βαρβαρικὸν τῆς γλώττης, barbara lingua, *pro* ἰωνικὴ στολὴ, βαρβαρικὴ γλῶττα. *Sic* τὰ ἄδηλα τῆς τύχης, incerta fortunae, *et alia hujus generis substantive poni solita, quae latini non infeliciter sunt imitati, ut* opaca nemorum, incerta viarum, incerta casuum.

Praedictis adde haec: εἰς τοῦθ' ἥκεν ἀναιδείας, μανίας, ἀνοίας, eò processit impudentiae, insaniae, stultitiae, *pro* εἰς ταύτην ἀναίδειαν, μανίαν, ἄνοιαν. *Herodian.* ἐις τοσοῦτον προεχώρησεν ὕβρεως, eò venit injuriae, *pro* εἰς τοσαύτην ὕβριν. *Qui loquendi modi passim apud auctores obvii sunt.*

Regula IV. Substantiva cùm ad laudem vel vituperationem referuntur, genitivo vel dativo gaudent: ἀνὴρ μεγάλης βουλῆς, *vir magni consilij*: ἄνθρωπος ἀχαλίνου στόματος, *homo effrenati oris.* Demosth. ἔστι γὰρ μένει μὲν ὁ Λεύκων δήπου ξένος, *genere et natione est Leucon peregrinus.*

ANNOTATIO.

Usitatius tamen haec et similia efferuntur apud graecos synecdochicé per accusativum: ἀνὴρ μέγας βουλήν, *vir magnus consilio*: ξένος τὸ γένος, peregrinus genere. *De quo pluribus infrà.*

Antequam porrò hoc caput finiamus, aliquid dicendum videtur de syntaxi interrogationis et responsionis.

Regula v. Interrogatio et responsio casu conveniunt sicut apud latinos. Laërtius: τί γλυκὺ ἀνθρώποις; ἐλπίς, *quid dulce hominibus? spes.*

Interdum discrepant, quando scilicet per pronomen possessivum respondetur, aut sensûs potior ratio habetur quam vocis, quod tunc praecipuè fit, cùm idem verbum plures casus admittit: τίνος ἐστὶν ὁ λόγος; ἐμός, *cujus est oratio? mea.*

Eurip. θανάτῳ δὲ ποίῳ φησὶ Μενέλεων θανεῖν; οἰκτρότατον, *qua morte ait Menelaum periisse? miserrimâ.* Dicimus enim θνήσκω θανάτῳ καὶ θάνατον.

ANNOTATIO.

Ut interrogativa substantiae et accidentis semper habeantur in promptu, visum est illa hic subjicere. Substantiae ergo interrogativa sunt: Πότερος, uter? ἕτερος, alter; οὐδέτερος, neuter. Τίς; quis? ἄλλος, alius, οὐδεὶς, nemo.

Interrogativa accidentis numerantur sequentia. Ποῖος; qualis? ἀπαίδευτος, indoctus παιδευτὸς, doctus, κακὸς, malus, ἀγαθὸς, bonus. Πηλίκος; quantus? μέγας, magnus, μικρὸς, parvus, δεκάπηχυς, δωδεκάπηχυς, decem,

duodecim cubitorum. Πόσου; quanti? πολλοῦ, magni, ὀλίγου, parvi. Ποταπὸς; cujas? γερμανὸς, germanus, ἕλλην, graecus, ἰταλιώτης, italus. Πόσα; quot? δυο, duo, τρία, tria. Ποσος; quotus? πρῶτος, primus, δεύτερος, secundus. Ποσαπλοῦς; quotuplex? διπλοῦς, duplex, τριπλοῦς, triplex, τετραπλοῦς, quadruplex. Ποσαπλάσιος; quotuplex? διπλάσιος, duplus, τριπλάσιος, triplus. Ποσημόριον; quota pars? τριτημόριον, τεταρτημόριον. Ποσαετὴς, quotennis? quot annorum? διετὴς, biennis, τριετὴς, triennis. Ποσταῖος; quoto die? δευτεραῖος, τριταῖος, secundo, tertio.

CAPUT VIII.

DE CONSTRUCTIONE TRANSITIVA NOMINUM ADJECTIVORUM.

QUAEDAM *adjectiva genitivum, quaedam dativum, alia utrumque, alia denique ac-*

cusativum habent; *de singulis ordine dicemus.*

GENITIVUS POST ADJECTIVUM.

Regula I. Adjectiva, quae scientiam, communionem, dignitatem, copiam, curam, desiderium et his contraria significant, genitivo junguntur.

Scientiam.

Lucian. ἔμπειρος τοῦ χωρίου, *peritus loci.* Aristot. ἄπειρος τῶν πράξεων ὁ νέος, *juvenis est rerum imperitus.*

Communionem.

Herodian. κοινωνὸς τῶν ἀποῤῥήτων, *particeps secretorum.* Xenoph. ἰσόμοιρον πάντων, *omnium ex aequo particeps.* Hom. τιμῆς ἔμμοροι, *participes honoris.*

Dignitatem.

Homer. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, *vir medicus multis viris aequivalet.* Demosth. ἀνάξιον τῆς τῶν προγόνων δόξης, *indignum gloriâ majorum.* Xenoph. ἐπαίνου ἄξιος μᾶλλον ἢ μέμψεως, *magis laude dignus quam reprehensione.*

Copiam.

Aristoph. τὸ φρέαρ ἐλαίου μεστόν, *puteus*

plenus olei. Lucian. κενὴ οἰστῶν ἡ φαρέτρα, *pharetra inanis sagittarum:* ἀφνειὸς βιότοιο, *dives opum,* πένης ἀργυρίου, *inops pecuniae.* Herodian. χώρα εὔφορας πάντων, *regio omnium ferax.*

Desiderium.

Nazianz. διψαλέος αἵματος, *sitiens, cupidus sanguinis.* Lucian. φιλομαθὴς τῶν ἑλληνικῶν μαθημάτων, *studiosus graecarum litterarum.* Aristot. ἀνόρεκτος αἰσχρᾶς ἡδονῆς, *non appetens turpis voluptatis.* Lucian. ἀμελὴς τῶν μουσῶν, *negligens musarum.*

ANNOTATIO.

Conveniunt ferè latini cum graecis in hac regula, nisi quod adjectivum, dignus *et similia ipsi cum ablativo construunt, quamvis etiam cum genitivo reperias. Balbus ad Cicer. lib.* 8 *ad Attic.* Obsecro te, mi Cicero, suscipe curam et cogitationem dignissimam tuae virtutis. *Virg.* 12. *Aeneid.*

Descendam magnorum haud umquam indignus avorum. *Et saepe in sacris litteris similis syntaxis occurrit.*

Regula II. Genitivum quoque habent adjectiva pretii seu emptionis, diversitatis; accusationis, damnationis, absolutionis et

quae constant particula α privante, et denominativa in κὸς, et his contrarium significantia, itemque numeralia ordinis.

Pretii seu *emptionis.*

Aeschyn. αἵματός ἐστιν ἡ ἀρετὴ ὠνία, *virtus venalis est sanguine.* Demosth. πολλοῦ ἄξια, *magni pretii.* Lucian. πόσου νῦν ὁ πυρὸς ἐστιν ὤνιος; *quanti nunc venditur frumentum?*

Diversitatis.

Plato 2. de rep. οὐδὲν οὖν διάφορον τοῦ ἑτέρου ποιεῖ, *nihil diversum ab altero facit.* Demosth. οὐδὲν ἀλλότριον ἐποίησε τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, οὐδὲ τοῦ τρόπου, *nihil alienum fecit a sua patria, neque à suis moribus.* Lucian. παῦου με ἄλλον ποιῶν σεαυτοῦ, *desine me alium à te facere.*

Accusationis et *absolutionis.*

Aristot. ἔνοχος δεσμοῦ, *reus vinculi,* seu *ut vinciatur.* idem, ἔνοχος ἱεροσυλίας, *reus sacrilegii.* Plato: ὑπόδικος ἀσεβείας, *reus impietatis.* Eurip. ἁγνὰς χεῖρας αἵματος φέρεις, *manus habes puras à sanguine:* καθαρὸς πάντων τῶν ἐγκλημάτων, *purus omnium criminum.*

Nomina cum particula α privante.

Demosth. ἀθῷος τῆς Φιλίππου δυναστείας,

liber à dominatù Philippi. Aristot. ἀδάπανος χρημάτων εἰς τὸ δέον, *parcus pecuniarum in re necessaria.* Xenoph. ἐπιθυμιῶν ἀκρατής, *cupiditates continere non valens.*

Denominativa in κός.

D. Basil. ἀγαθὸς Θεὸς καὶ ἀγαθῶν παρεκτικός, *Deus bonus est et dator bonorum.* Aristot. καθάπερ ἐστὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγίεια οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία, *ut sanitas corpus, sic doctrina conservat animam.*

Numeralia ordinis.

Heliod. Ὅμηρος πάντα δεύτερα γαστρὸς ποιεῖται, *Homerus omnia ventri posthabenda censet.* Athen. νόμων ἐμπειρίᾳ οὐδενὸς δεύτερος, *legum cognitione nulli secundus.*

ANNOTATIO.

Adjectiva diversitatis nonnumquam genitivum apud latinos quoque regunt. Cicero 1 *de finibus*: quis alienum putet esse ejus dignitatis, quam mihi quisque tribuit? *Quod ipsum etiam de multis ex privante particula in compositis dicendum est. Nam ut graecis* α, *ita latinis* in *privat. Exempla invenies apud Emmanuelem in scholiis regulae de genitivo post nomen adjectivum,*

Illa denominativa in κὸς latinè vix commodè ad verbum exprimi possunt uno verbo, nisi quis barbaro vocabulo velit uti. Neque enim τρόπον ποριστικὸν τοῦ βίου *rectè interpretaberis*, rationem necessariorum suppeditativam, *sed vel* suppeditatricem, *vel* suppeditantem, *vel periphrasi* quae necessaria suppeditat, *quamvis haec vim vocis illius graecae non exprimat.*

EXCEPTIONES.

Exceptio I. Quaedam ex supradictis vocabulis construuntur etiam cum dativo. Lucian. ἔνοχος τοῖς νόμοις, *reus legum*: Matth. 5. ἔνοχος τῇ κρίσει, τῷ συνεδρίῳ, *reus judicii*, vel *reus judicio*, *reus concilio*, ut vertit interpres sacer. Plato: ἀποδεῖξαι αὐτοὺς ἀλλοτρίους ὄντας τῷ υἱεῖ, *alienos à filio*, seu *filio*: quale est illud M. Tullii pro Caecin. *quod illi caussae maxime est alienum.*

Exceptio II. Dativum itidem habent denominativa in κὸς, quae derivantur à verbis habentibus dativum. Aristot. τοῖς πάθεσιν ἀκολουθικὸς ὁ νέος, *juvenis sequitur affectus*: nam verbum ἀκολουθεῖν dativum regit. Sunt et alia nonnulla, de quibus infra.

Exceptio III. Quaedam adjectiva habent genitivum per eclipsin, deficiente scilicet ἕνεκα. Lucian. μακάριε τῆς θέας, *felix quae*

haec videris: ἄϑλιος τῆς τύχης, *miser ob fortunam*. Utrobique subauditur ἕνεκα.

Exceptio IV. Genitivo junguntur partitiva, ut apud latinos. Pind. γειτόνων πολλοί, *multi vicinorum*: μόνη τῶν πόλεων, *sola civitatum*: ἕκαστον τῶν ζώων, *unumquodque animalium*. Vide Emmanuelem.

DATIVUS POST NOMEN

ADIECTIVUM.

Regula I. Adjectiva quibus commodum, voluptas, gratia, favor, similitudo, aequalitas, fidelitas, mos et consuetudo et his contraria significantur, dativum habent non secus atque apud latinos. Exempla passim sunt obvia.

Regula II. Praedictis adde adjectiva quaedam passivae significationis à verbis deducta, et latinis in *bilis* (ut *amabilis*) respondentia. Lucian. ἐπ᾽ ἐκείνους πέμπέ με, οἷς τίμιος ἐγὼ καὶ περιπόϑητος, *ad illos mitte me, quibus ego honorabilis et exoptabilis sum.*

Regula III. Adde etiam composita ex σὺν, et ὁμοῦ, *simul*, et praeterea multa verbalia casum sui verbi imitantia: ὁμότεχνος ἐμοι, *ejusdem artis mecum* : ὁμόγλωσσος ἐκείνῳ, *ejusdem cum illo linguae*: σύντροφος τῇ παιδείᾳ, *educatus in litteris*: ὁμόψηφος ἐμοί,

ejusdem mecum sententiae. Aristot. προσεκτικὸς τοῖς μεγάλοις καὶ τοῖς θαυμαστοῖς, *qui magnis et miris attendit.* Quia προσέχω dativum habet.

Regula IV. Substantiva aliquando dativum habent imitatione adjectivorum, ut cùm Aristoteles ait Νέμεσιν dictam ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, à *suum cuique distribuendo.* Sic Cic. *justitia est obtemperatio scriptis legibus*; nimirum quia διανέμειν et *obtemperare* dativum habent, ideo etiam substantiva verbalia ab illis deducta cum dativo junguntur.

EXCEPTIO.

Multa ex praedictis genitivum admittunt sicut et apud latinos. Aesop. ὄρνις ὁμοία τῶν λοιπῶν ὀρνίθων, *gallina similis aliarum gallinarum.* Theodoret. ὁ μὲν πόνος κοινὸς δούλων καὶ δεσποτῶν, *labor communis est servorum et dominorum.*

Regula V. Quodvis adjectivum admittit dativum modi, caussae, instrumenti, similisve circumstantiae. Aristot. ἴσα τῷ ἀριθμῷ ᾠά, *ova numero paria*: θρασὺς στόματι, *audax ore*: ἕτοιμος ξίφει, *paratus gladio, promptus manu.*

ACCUSATIVUS POST ADJECTIVUM.

Regula I. Multa adjectiva laudem vel vituperationem, patriam, gentem, nomen vel partem significantia accusativum habent praepositione κατὰ per synecdochen subintellectâ. Herodot. Κροῖσος ἦν λυδὸς μὲν τὸ γένος, *Croesus erat genere vel natione lydus.* Lucian. τὸ μὲν εἶδος οὐκ ἀγενής, *formâ non est invenustă.* Idem: θαυμάσιος τὴν τέχνην, *mirandus arte.*

ANNOTATIO.

Nomina haec nonnumquam dativum habent: τῷ εἴδει καλός, specie pulcher, *quo pacto ad superiores de dativo regulas pertinent. Est autem modus hic loquendi graecorum látinis et maximè poëtis valde usitatus, ut apud Emmanuelem cernere licet.*

Regula II. Quaedam adjectiva habent accusativum, interpositu praepositionis εἰς, περὶ ἐπί. Aristoph. δεινὸς εἰς τὰ πάντα, *idoneus et acer ad omnia.* Aristot. δεινὸς περὶ τὴν νομοθεσίαν, *aptus ad leges ferendas*: χρήσιμος εἰς τὰ πολεμικά, *utilis ad res militares.* Plato: τὴν τοῦ σώματος ἰσχὺν ἱκανὴν ἐπὶ τοὺς πόνους ἔχουσι, *sat virium habent ad*

labores: ἱκανὸς πρός τι, *aptus ad aliquid.*

ANNOTATIO.

Idem fit in his nominibus accommodatus, aptus, idoneus *et aliis*, *de quibus Emmanuel.*

Regula III. Adjectiva, quibus generalis dimensio significatur, non construunt graeci cum accusativo vel dativo loco ablativi ad normam latinorum; sed circumloquuntur plerumque per substantiva abstracta in nominativo vel dativo vel accusativo posita, subintellectâ crebrò praepositione κατὰ per synecdochen. Xenoph. τοῦ Μαιάνδρου τὸ εὖρος (ἐστὶ) δύο πλέθρα, *Maeandri latitudo (est) duo jugera*: idem, τοῦ Μαρσίου τὸ εὖρος εἴκοσι καὶ πέντε ποδῶν, *Marsiae fluvii latitudo est viginti quinque pedum*: idem, Εὐφράτης ἐστὶ τὸ εὖρος τεττάρων σταδίων, *Euphrates latitudine est quatuor stadiorum.* Herodot. ἐόντας τὸ μέγεθος εἴκοσι πηχέων, *erant magnitudine viginti cubitorum.* Diodor. χῶμα δίπλεθρον τῷ πλάτει, *agger duorum jugerum magnitudine.*

ANNOTATIO.

Ad latinorum normam ita dicendum

esset: ὁ Μαίανδρός ἐστιν εὐρὺς δύο πλέθρα, δύο πήχεις, *vel* μέγας δέκα, ἐκαλὸν πήχεσι *vel* πήχεις *vel etiam in genitivo* (*nam et haec constructio invenitur apud latinos*) πήχεων, πλέθρων, δακτύλων, ποδῶν.

Pro latino illo opus est, *utuntur graeci verbis impersonalibus* δεῖ *et* προσδεῖ *cum genitivo. Demosth.* δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων, pecunia sanè opus est, nec sine hac praeclarum quidquam agi potest. *Idem:* οὐ λόγου προσδεῖν ἡγοῦμαι, non arbitror opus esse verbis.

Utuntur etiam nomine χρεία *à* χράομαι, utor: χρεία ἐστὶ τούτου, usus *seu* opus est hac re. *Aristot.* ἔφησεν, ἑαυτῷ χρείαν εἶναι καὶ τούτων, his quoque sibi opus esse dixit. *D. Chrysostomus:* πεῖρας χρεία ἐστί, experientiâ opus est. *Respondet autem vocabulo* χρεία *ad verbum illud latinum* usus, *quo saepe usi sunt auctores pro* opus. *Plaut.* Viginti jam usus est filio argenti minis. *Virgil. lib.* 8.

Arma acri facienda viro, nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, etc.

CAPUT IX.

DE

CONSTRUCTIONE

GRADUUM COMPARATIONIS.

Regula I. Comparativus genitivum habet. Homer. de Nestore:

Οὗ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Cujus ab ore melle dulcior fluebat oratio. 1. ad Corinth. 13. μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη, *major his est charitas.*

ANNOTATIO.

Interpres sacrae Scripturae aliquoties hoc hellenismo usus est. Major horum est charitas. Majora horum faciet.

Regula II. Comparativo addi potest dativus significans excessum: μείζων ἐμοῦ ἑνὶ δακτύλῳ, *major est me uno digito.*

Regula III. Non tantùm comparantur res diversi generis, sed etiam ejusdem, immo

ejusdem ad seipsum comparatio instituitur' quamvis diverso respectu. Marci 4. πάντων τῶν λαχάνων μείζων, *omnibus oleribus majus.* Thucyd. πλουσιώτεροι ἑαυτῶν γενόμενοι, *ditiores seipsis facti.*

Regula IV. Comparativus, cum partitionem significat, genitivum habet: ὁ μείζων τῶν νέων, *major juvenum.*

A N N O T A T I O.

Quae his tribus regulis tradidimus, graecis cum latinis communia sunt.

Regula V. Genitivus comparativi mutari potest in casum verbo congruentem interpositis particulis ἤ, ἤπερ, ἠέπερ: οὐδέν ἐστι κτῆμα σεμνότερον ἢ ἀρετή, *nulla possessio honorabilior quam virtus.* Lucian. Ἀννίβας τῇ γνώμῃ πλέον, ἤπερ τῇ τύχῃ ἐχρήσατο, *Hannibal magis prudentiâ quam fortunâ usus est.* Nestor apud Homer. Iliad. 1. -- ἀρείοσιν ἠέπερ ὑμῖν ἀνδράσιν ὡμίλησα, *cum melioribus viris versatus sum, quam vos sitis.*

Regula VI. Interdum post ἤ eleganter additur κατὰ, εἰς, πρὸς, ὅσον, ὡς: γυναῖκα μεῖζον, ἢ κατα γυναῖκα φρόνημα ἔχουσα, *mulier animosior, quam mulieri conveniat.* Thucyd. τὰ προγεγενημένα τί δεῖ μακρότερον, ἢ εἰς ὅσον τοῖς νῦν ξυμφέρει, αἰτιᾶσθαι; *quid*

opus est praeterita verbosius, quam quatenus praesenti rerum statui expedit, reprehendere?

ANNOTATIO.

Hoc loquendi genus latinis quoque usitatum est. Nam illud Isocratis: ἐλάττω νομίσας τὴν ἀρχὴν, ἢ κατὰ τὴν ἀυτοῦ φύσιν εἶναι: *rectè vertes*, ratus imperium minus esse, quam pro suo ingenio atque animo: μεῖζον τὸ ἔργον, ἢ κατὰ τὴν ἐμὴν δύναμιν, majus opus est quam pro meis viribus.

Latiùs porrò patet usus comparativi apud graecos quam apud latinos, multa enim ipsi comparativo efferunt, quae nos per comparativum eloqui non possumus, ut pluribus exemplis demonstrat Budaeus in commentario. Unum aut alterum sufficerit. Aristot. ὥστε δεῖ προσέχειν τῶν ἐμπείρων καὶ φρονίμων ταῖς ἀναποδείκτοις φάσεσι καὶ δόξαις, οὐχ ἧττον τῶν ἀποδείξεων, itaque attendere oportet ad sententias et opiniones, quae de monstrari nequeunt, expertorum et prudentium, non minùs quam ad demonstrationes: *idem*: εὔλογον δὲ τοῖς εἰδόσι τῶν ζητούντων ἡδίω τὴν ἀγωγὴν εἶναι, consentaneum rationi est, scientium vitam suaviorem esse quam indagantium. *Aristot.* κάλλιον εὐποιεῖν φίλους ὀθνείων, pulchrius est amicis benefacere quam alienis.

Iam verò illa: ὀργῆς ἥττων ἄν, *apud Herodianum*, κρείττων χρημάτων, κρείττων παιδείας: *vix assequi potest latinus sermo pari vi et elegantiâ. Nam si dicas*, minor est irâ major pecuniâ major institutione *nihil minùs exprimes, quam quod illis graecis loquendi formulis subest. Illud enim*, κρείττων χρημάτων, *significat*, rem esse praestantiorem, quam quae pecuniâ emi possit. *Et illud* ὀργῆς ἥττων, talem qui infirmior sit, quam ut iram superet. *Et illud* κρείττων παιδείας, doctiorem, quam qui doceri possit.

Regula VII. Comparativa recipiunt apud graecos augmentum seu intensionem adjectione harum particularum μᾶλλον, *magis*, πολὺ, πολλῷ, *multo*, ὅσῳ, *quanto*, τόσῳ, τοσούτῳ, *tanto*. Demosth. πολὺ γὰρ ῥᾶον ἔχοντας φυλάττειν, ἢ κτήσασθαι πάντα, *multo facilius est parta tueri, quam de integrò aliquid acquirere.*

Interdum additur alia intensionis particula, ut apud Isaeum: πολὺ μᾶλλον ἑτοιμότερον: ad verbum, *multo magis promptius*, quale est etiam illud Pauli ad Philippens. I. πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον, *multo magis melius.*

ANNOTATIO.

Latini eodem modo vim suorum comparativorum augent, quamvis adverbium magis *non apponant, nisi rarò et per hellenismum. Plautus*: nihil invenies hoc certo magis certius: *idem:* nam magis multò patior facilius verba. *Virg.* Quis queat optato magis esse beatior aevo?

Regula VIII. Ponitur interdum comparativus pro positivo. Sophocl. in Electr. πλέον ἐχθίστη, pro πολύ, *longè infensissima.*

Regula IX. Ponitur vicissim positivus pro comparativo. Menander: καλὸν τὸ μὴ ζῆν ἐστιν, ἢ ζῆν ἀθλίως, pro κάλλιον, *pulchrius est non vivere quam vivere miserè.*

ANNOTATIO.

Apud interpretem sacrae Scripturae occurrit interdum hoc genus loquendi, ut Psalmo 117. Bonum est confidere in Domino quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino quam sperare in principibus, *pro* melius est, ἀγαθὸν πεποιθέναι ἐπὶ Κύριον, ἢ πεποιθέναι ἐπ' ἄνθρωπον. Ἀγαθὸν ἐλπίζειν ἐπὶ Κύριον ἢ ἐλπίζειν ἐπὶ ἄρχουσι: *nisi potiùs ad hebraismum respexisse dicendus sit.*

Regula x. Adjectiva ponderis comparativorum naturam habent, quae caussa est, cur cum genitivo construantur. Diodorus: Ἀντίγονος παρεκάλει Εὐμενῆ λαβεῖν δωρεὰς πολλαπλασίους, ὧν πρότερον ἦν ἐσχηκώς, *Antigonus hortabatur Eumenem, ut acciperet beneficia multis partibus plura, quam ante habuisset.* Aristot. μυριοπλάσια ἂν κακὰ ποιήσειεν ἄνθρωπος κακὸς θηρίου, *homo malus infinitis modis plura mala perpetraverit quam bestia.*

DE SUPERLATIVO.

Regula i. Superlativus genitivum habet: σοφώτατος ἁπάντων, *sapientissimus omnium.*

Regula ii. Neque solùm genitivum pluralem, sed et singularem nominis collectivi habere potest. Herodian. ἀνδράσι τῆς συγκλήτου βουλῆς ἀρίστοις, *viris totius senatus optimis.* Thucyd. τῆς γῆς ἡ ἀρίστη, *terra optima.* Lycophr. ἀλκῇ νέκνδρος, ἐκπρεπέστατος γένους, *fortitudine strenuus, clarissimus genere.*

ANNOTATIO.

Idem de partitivis dicendum est; sicut enim rectè dicitur, nemo plebis; *ita etiam* οὐδεὶς δήμου. *Vide Emmanuelem.*

Regula iii. Non tantùm res ejusdem vel

diversi generis inter se conferri possunt, sed etiam idem cum seipso. Demosth. οὐ γὰρ λίϑοις ἐτείχισα τὴς πόλιν, οὐδὲ πλίνϑοις ἐγὼ, οὐδ' ἐπὶ τούτοις μέγιστον τῶν ἐμαυτοῦ φρονῶ, *neque ego muro circumdedi civitatem, neque lateribus ego, neque in hac re potissimùm confido.* D. Basil. ὅτε φλογωδέστατός ἐστιν ἑαυτοῦ ὁ ἥλιος, *quando sol seipso aestuosior est.* Plutarch. αὐτὸς αὑτοῦ κράτιστος ἐν τῷ μονομαχεῖν, *seipsum vincens in singulari certamine.* Xenoph. ὅτε δεινότατος σαυτοῦ ἦσϑα, *quo tempore omnium aetatis tuae dierum eras dexterrimus.*

ANNOTATIO.

Has locutiones latini imitari non possunt eâdem loquendi formâ, ut inquit Budaeus. Quod autem quidam dicunt, in hujusmodi locutionibus idem cum seipso non comparari, inane est. Cum quo enim comparatur sol *in allato D. Basilii testimonio, si non comparatur secum?*

Dixi autem in regula, res quoque diversi generis comparari. *Cur enim non rectè dicam?* ἄνϑρωπος πάντων, οὐ μόνον διπόδων, ἀλλὰ καὶ τετραπόδων βδελυρώτατος: *sicut latinè rectè dicimus*, homo omnium, non modò bipedum, sed etiam quadrupedum flagitiosissimus.

Regula IV. Mutatur interdum genitivus

superlativi in alium casum, adjuncta praepositione. Aristoph. Αἰσχύλον νομίζω πρῶτον ἐν ποιηταῖς, *'Aeshylum pi.mum inter poëtas arbitror*. Hom. Iliad. 1.

— μετὰ πᾶσιν ἀτιμοτάτη θεός εἰμι.

Sum dea omnium contemptissima.

Regula v. Superlativa recipiunt augmentum seu intensionem additis particulis λίαν, μακρῷ, πολὺ, ὡς, ὅτι, ὅσον, ὡς δυνατὸν, ὡς οἷόντε, ὅσῳ, τοσούτῳ et alijs hujusmodi: λίαν φιλοπονώτατος, *multo cupidissimus laborum*, μακρῷ τὰ πάντα πρῶτος, *longè omnium primus*: ὡς πλεῖστοι, *quam plurimi*, et sic de aliis, nam exempla passim sunt obvia.

Regula vi. Attici usurpant interdum superlativum pro comparativo: τὰ ἄρρενα κυούμενα κινητικώτατά ἐστι τῶν θηλέων. Aristot. pro πολλῷ κινητικώτερα, *masculi in utero longe mobiliores sunt quam femellae.* Sophocl. ὅσῳ κράτιστον κτημάτων εὐβουλία, *quanto praestantius est salutare consilium opibus.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budaeus, simulque negat hujus rei exemplum apud latinos reperiri.

Regula vii. Ponitur etiam comparativus pro superlativo et superlativus pro positivo. Synaesius: μακρῷ πάντων βαρύτερος, pro βαρύ-

τατος, *longe omnium gravissimus*. Thucyd. μάλιστα δεινότατος τοῖς ἐναντίοις, pro δεινὸς, *gravissimus hostibus.*

Regula VIII. Quaedam nomina, licet superlativa non sint, habent tamen vim superlativorum, ac proinde genitivum exigunt: ἔξοχος ἄλλων, *praestans aliis, princeps aliorum.* Homer. δῖα θεάων, *diva dearum.* Diodor. κορυφαῖος τῶν Ἀθήνησι ῥητόρων, *coryphaeus rhetorum atheniensium.*

CAPUT X.

DE

CONSTRUCTIONE
TRANSITIVA VERBORUM
QUAE UNUM CASUM
POST SE HABENT.

Verborum quaedam genitivum, quaedam dativum, quaedam accusativum requirunt: de singulis ordine praescribendae sunt regulae.

GENITIVUS POST VERBUM.

Regula I. *Sum* eodem modo apud graecos, quo apud latinos, cum genitivo construitur, nisi quod interdum non exprimitur. Demosth. *πολίτου δικαίου κρίνω, viri justi (esse) arbitror.*

Pari modo, cum laudem vel vituperationem significat, genitivum nonnumquam regit. Plutarch. *Φούρνιος ἦν ἀξιώματος μεγάλου, Furnius erat magnae dignitatis.*

Regula II. Genitivum regunt verba sensuum, tam quae generatim, quam quae speciatim sensum significant. Aristoph. *αἰσθάνομαι ψόφου, sentio strepitum.* Demosth. *προσήκει προθύμως ἐθέλειν ἀκούειν τῶν βουλομένων συμβουλεύειν, par est ut prompte illos velitis audire, qui consilium dare volunt.* Lucian. *ὀσφρᾶται τοῦ χρυσίου, odoratur aurum.* Aristoph. *καὶ πρῶτα μὲν δὴ τῆς κεφαλῆς ἐφήψατο, et primo quidem caput attigit.* Eurip. *γεύεσθαι κακῶν, gustare mala.*

ANNOTATIO.

Eadem est ratio vocabulorum, quae horum sunt synonima, ut. κλύω, ἀΐω audio, *ἐπιψαύω, θιγγάνω*, tango. *Theognis*: *σὺ δέ μευ κλῦθι, καὶ ἐσθλὰ δίδου*, tu verò me exaudi, bonaque da.

EXCEPTIONES:

Verba videndi, ut ὁρῶ, ὀπ7ομαι, βλέπω, δέρκω, Ͽεωρῶ, Ͽεῶμαι eorumque composita, fere accusativum habent. Aristoph. ὁρῶ τὸν ἱερέα, *video sacerdotem.* Lucian. πάντα ὁρῶ ταῦτα, *omnia haec video.*

Attici omnia verba sensuum cum accusandi casu construunt. Aristot. αἰσϑάνονται τὰ παρόντα, *sentiunt praesentia.* Demosth. ἀκούσατε, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, τὰ ψηφίσματα, *audite, ó viri judices, decreta.* Aristoph. κακόδαιμον, ὀσφραίνῃ τί; *miser, olfacisne aliquid?* Ioann. 2. ἐγεύσατο ὁ ἀρχιτρίκλινος τό ὕδωρ, *architriclinus gustavit aquam.* Lucian. γευσάμενος γάλα, *cum lac gustasset.*

ANNOTATIO.

Μανϑάνω *pro* ἀκούω *regit genitivum. Sophocl.* ὅταν μάϑες μου, νουθέτει, cum audiveris me, admone. *Sic etiam* πείϑεσϑαι *pro* ἀκούειν, *quando significat* auscultare, obedire. *Euripid.* πείϑεσϑαι γὰρ εἴϑισμαι σέϑεν, audire te soleo, *id est* obedire tibi: κλύω *et* ἀκούω *interdum dativum habent. Theogn.* εὐχομένῳ μοι κλῦϑι, audi me precantem.

Regula III. Verba quae animi affectionem significant, ut sunt verba admirandi, ap-

petendi, amandi, privandi, consequendi, aberrandi et participandi, genitivum habent, quibus adde verbum petendi, δέομαι.

Admirandi.

Xenoph. θαυμάζω ὑμῶν, *miror vos.* Plato: θαυμάζω σου, *miror te.* Isocrat. θαυμάζω τῶν ταύτην τὴν γνώμην ἐχόντων, *miror illos, qui tali sint animo.*

Appetendi.

Isocrat. ὀρέγεσθαι τῆς καλοκαγαθίας, *appetere honestatem.* Aristoph. οὐ γὰρ τούτων ἐπιθυμῶ, *non desidero ista:* ἐφίεμαι πλούτου, *appeto divitias.*

Amandi.

Lucian. οὐ γὰρ οὕτω τοῦ πλουτεῖν ἐρῶσιν *non ita amant divitias.* Halicarn. ἐρῶντες δυναστείας, *appetentes potentiae.* Xenoph. τῶν καλῶν ἐρῶσι, *amant pulchra.*

Privandi.

Στερηθῆναι βίου, *privari vitâ.* Xenoph. στερηθήσεται τῆς πόλεως, *privabitur civitate.* Isocrat. ὁ πόλεμος ἁπάντων ἀγαθῶν ἡμᾶς ἀπεστέρηκε, *bellum privavit nos omnibus bonis.*

Consequendi.

Plato: τοῦ σκόπου τευξόμενος, *scopum assecuturus:* τυγχάνω τῶν δικαίων, *jus meum*

obtineo. Demosth. οὐκ ἀσφαλὲς ἐπιλαμβάνεσθαι μεγάλης ἐξουσίας, *non est tutum magnam potestatem consequi.* Isócrat. τῆς ἀρετῆς ἐφιέσθαι, *virtutem consequi.*

Aberrandi.

Ψευσθεὶς ἐλπίδος, *spe falsus:* ἀποτυγχάνειν τοῦ σκόπου, *aberrare à scopo:* ἁμαρτάνειν ὅλης τῆς ὁδοῦ, *totá viá aberrare.* Isocrat. οἱ μὲν ἄριστα φρονοῦντες ἐνίοτε διαμαρτάνουσι τοῦ συμφέροντος, *sapientissimi quique aberrant aliquando ab utili.*

Participandi.

Halicarn. μετέχειν τῶν ἴσων, *aequale jus participare.* Xenoph. σίτου καὶ πότου κοινωνεῖν, *cibi et potûs participem esse.*

Eodem modo construuntur μεταλαμβάνω, μέτεστι, μεταδίδωμι. Theogn. οὐδὲ γὰρ ἂν πρήγμασιν ἄλλῳ καμάτου μεταδοίης, *neque enim antè fatigatus, alium laboris seu defatigationis participem facias.* Lucian. ἀθανασίας μετειληφας, *immortalitatis es particeps.*

Petendi.

Aesop. ἀηδὼν ἐδεῖτο τοῦ ἱέρακος, *luscinia rogabat accipitrem.* Herodot. σοῦ δέομαι μὴ δέεσθαι ἀνόμων, *rogo te ne petas iniqua.* Isocr. Κλεάρχου μηδὲν πώποτε ἐδεήθην, *a Clearcho nihil umquam petivi.* D. Chry-

Dicimus etiam ψεύδομαι τόδε, τοῦδε, τῷδε frustror *vel* destituor hac re.

Verba denique participandi nonnumquam junguntur cum accusativo. Aristoph. οὐ γὰρ μετεῖχες τὰς ἴσας πληγὰς ἐμοί, non fuisti particeps tot plagarum, atque ego, *id est* non accepisti tot plagas, quot ego.

Latini videntur has graecorum constructiones imitari. Virgil.

Justitiaene priùs mirer, belline laborum *Id.*

Nec veterum memini, laetorve laborum. *Nisi quis subaudire velit* caussâ *vel* gratiâ laborum. *Ad eamdem normam dixisse putatur Horat. lib.* 2 *ode* 13. Dulci laborum decipitur sono, *quamvis nonnulli legant,* laborem. *Sic* fallor animi, fallor sermonis, *apud Plautum et alios.*

Regula IV. Genitivum habent verba, quae curam, neglectum et contemptum significant. Item verba dominandi seu imperandi, copiae, inopiae, incipiendi, abstinendi, dimittendi, parcendi, distandi, differendi, excellendi, superandi, et separandi.

Quae curam significant.

Isocrat. πάντων ἐπιμελοῦ τῶν περὶ τὸν βίον, *cura omnia quae ad vitam pertinent.* Demosth. εὔηθες τὰ οἰκεῖα αὐτοὺς προεμένους, τῶν ἀλλοτρίων φάσκειν κήδεσθαι, *stultum est, eos qui sua negligunt, dicere, se aliena*

curare. Aristoph. σοῦ δ' οὐ φροντιῶ, *non curabo te*.

Neglectum.

Herodian. της ἀληθείας ὀλιγωροῦσι, *veritatem negligunt*. Isocrat. ὠλιγώρουν τῶν κοινῶν, *negligebant rempublicam.*

Dominandi.

Isocrat. τῶν οἰκετῶν ἄρχειν, *imperare servis*. Lucian. δεσπόζουσι τῶν ἀνδρῶν αἱ γυναῖκες, *viris imperant mulieres.*

Copiae et inopiae.

Demosth. χρημάτων ηὐπόρει, *pecuniis abundabat*. Eurip. γέμω κακῶν, *plenus sum malis*. Demosth. ἐνέπλησε τοσαύτης παρανομίας καὶ μανίας, *tanta iniquitate ac furore replevit*. Halicarn. σπανίζουσι τῶν ἀναγκαίων, *egent rebus necessariis.*

Incipiendi et desinendi.

Theoc. ἄρχετε βουκολικᾶς ἀοιδᾶς, *incipite musam agrestem* : idem : λήγετε βουκολικᾶς ἀοιδᾶς, *desinite modulari musam agrestem.*

Abstinendi.

Phocyl. ἀλλοτρίων ἀπέχεσθαι, *ab alienis abstinere.*

Dimittendi.

Eurip. δεξιᾶς ἐμῆς μέθες, *dimitte dexteram meam.* Aristoph. τούτου μὴ μεθίεσθαι, *hunc non dimittere.*

Parcendi.

Phocyl. πλούτου μὴ φείδου, *divitiis ne parcas.* Demosth. παίδων φείδεσθαι πατρικὸς νόμος, *parcere liberis paterna lex est.*

Distandi.

Demosth. ἀπεῖχε τῆς πόλεως στάδια τεσσαράκοντα, *aberat à civitate stadia quadraginta.*

Differendi.

Lucian. οὐδὲν τῶν κοράκων διαφέρουσιν, *nihil differunt à corvis.*

Excellendi.

Isocrat. προέχειν τῶν ἄλλων, *aliis antecellere.*

Superandi.

Xenoph. κρατεῖν τῶν ἡδονῶν, *superare voluptates.* Luc. κρατεῖς ἁπάντων, *omnibus imperas.*

Separandi.

Chrisost. χωρίζεται τοῦ θεοῦ, *separatur a Deo.* Dionys. de situ orbis: Εὐρώπην Ἀσίης

*

Τάναϊς διὰ μέσου ὁρίζει, *Tanais in medio separat Asiam ab Europa.*

ANNOTATIO.

Quaedam ex praedictis verbis cum aliis interdum casibus constructa reperies. Lucian. ἀεί τι φροντίζουσι, semper aliquid curant, *id est*, meditantur. *Homer.* θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγοντες, dei conspectum seu praesentiam nihil curantes. *Idem*: μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε, impera myrmidonibus. *Fere enim apud poetas verba imperandi dativum habent.*

Imitantur porrò latini interdum hos graecos loquendi modos, maximè Horat. ut lib. 3 *ode* 30.

Et quà pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum. *Id est,* ἐβασίλευσε, ἦρξε τῶν δήμων. *Alii legunt,* regnator populorum. *Et libro* 2 *ode* 9. Desine mollium querelarum. *Et libro* 3 *ode* 27. Mox ubi lusit satis, abstineto (dixit) irarum, calidaeque rixae.

Dominor, *jungunt latini cum ablativo interventu praepositionis* in. *Cicero* 1 *Tuscul.* Vetat enim dominans ille in nobis Deus. *Admittit tamen interdum dativum. Virgil.*

Hîc domus Aeneae cunctis dominabitur oris. *In sacris litteris graeca structura fere semper est ab interprete latino ex-*

pressa. Psal. 9: *πάντων τῶν ἐχθρῶν αὐτοῦ κατακυριεύσει* omnium inimicorum suorum dominabitur. *Ibidem*: *ἐν τῷ αὐτὸν κατακυριεῦσαι τῶν πενήτων*, cùm dominatus fuerit pauperum. *Etiam verba implendi genitivo jungunt latini. Virgil.*

Implentur veteris Bacchi pinguisque ferinae. *Plautus*: Parasitus qui me complevit flagitii et formidinis. *Plura exempla vide apud Emmanuelem. Interpres sacer*: Impletae sunt nuptiae discumbentium. *ἐπλήσθη ὁ γάμος τῶν ἀνακειμένων. Matth.* 22. Egeo *genitivum regit graecorum imitatione. Horat.* Eget aeris cappadocum rex. *Et Terent.* Tui carendum. *Sic verbum copiae*, Abundo *cum genitivo. Lucill.* Quarum abundamus rerum, *ὧν εὐποροῦμεν. Lucret. teste Servio*: Superi vitiatus luminis aër.

Regula v. Genitivum habent verba arcendi seu prohibendi, liberandi, aestimandi, emendi et vendendi, accusandi, damnandi, absolvendi, fruendi et concedendi.

Arcendi seu prohibendi.

Plutarch. *εἴργω πυρὸς καὶ ὕδατος, interdico igne et aquâ.* Homer. *μὴ δέ μ' ἔρυκε μάχης, ne me arceto à pugna.* Hinc verbum prohibendi junxit cum genitivo Silius Italicus:

—captas prohibere nequiret
Cùm poenos Aquilae.

Liberandi.

Apollonius : ῥύσασθε λύμης, *liberate à calamitate*. Isocrat. ὑπομένομεν τομὰς ἰατρῶν, ἵν' ἀπαλλαγῶμεν πλειόνων ἀλγηδόνων, *toleramus medicorum sectiones, ut liberemur majoribus doloribus*. D. Chrisost. φθόνου καθαρεύειν, *purgare*, seu *liberare se ab invidia*.

Aestimandi et emendi.

Synes. πόσου δοκεῖς τιμῶμαι; *quanti putas aestimo?* Demosth. οὐκ ὠνοῦμαι μυρίων δραχμῶν, *non emo decies mille drachmis*. Aristoph. οὐκ ἂν πριαίμην οὐδ' ἂν ἰσχάδος, *non unâ emerim caricâ*.

Fruendi.

Lucian. τί ἀπολαύσειας τῶν ὀρῶν, τί δὲ ἂν ἀπόναιντο τοῦ σου κάλλους αἱ βόες, *quid fructus capias ex montibus, et quid utilitatis percipiant ex tua pulcritudine vaccae*. Isocrat. ἀπόλαυε μὲν τῶν παρόντων ἀγαθῶν ὡς θνητός, *praesentibus bonis fruere ut mortalis*.

Accusandi, absolvendi et concedendi.

Demosth. κατηγορῶ Φιλίππου, *accuso Philippum*. Isocrat. κατηγοροῦσί τινες ἡμῶν, *accusant nos aliqui*. Demosth. ἀφεθεὶς τῶν ἐγκλημάτων, *liberatus crimine*. Aristot. ἀπο-

ψηφίζομαί σου, *absolvo te.* Synes. παραχωρεῖ τῆς ἀρχῆς συνοίκῳ κρείττονι, *praestantiori cedit de imperio.*

Regula VI. Verba quaedam saepe regunt genitivum ἐλλειπτικῶς, deficiente ἕνεκα, vel χάριν: ὑποδέχομαί σε τῆς προαιρέσεως, *probo te ob tuum propositum.* εὐδαιμονίζω σε τῆς ἀρετῆς, *felicem te praedico propter virtutem.* Subauditur ἕνεκα vel χάριν. Eurip. Ἑλλάδος μάλιστ᾽ ἔγωγε τῆς ταλαιπώρου στένω, *maxime gemo propter miseram Graeciam.*

ANNOTATIO.

Huc referunt nonnulli illud Virgilii: Iustitiaene priùs mirer etc. *et illud Ovidii:* Successoremque Minervae indoluit: *et illud Senecae:* Regni Lajus rapti furit, *id est,* gratiâ, *vel* caussa regni rapti: *et illud Horatii:* plorem artis in te nullum habentis exitum.

Regula VII. Interdum junguntur verba genitivis, praepositione deficiente, quae genitivum postulat. λύω σε τῶν δεσμάτων, *solvo te vinculis.* ἁρπάζω σε τοῦ πυρός, *rapio te ex igne.* Ibi subauditur ἀπὸ, hîc praepositio ἐκ.

Regula VIII. Pars et materia, principium, ortus, seu caussa efficiens, eamdem ob caussam in genitivo enuntiantur. Lucian. ἕλκει

σε ῥινός, *trahit te naso.* ἕλκει σε ποδὸς, τριχῶν, *trahit te pede, capillis.* Herodian. πεποιημένον μυλίτου λίθου, *factum ex molari lapide.* Idem: ἑνὸς λίθου πᾶν πεποιῆσθαι, *uno lapide totum esse factum.* Eurip. Διὸς πεφυκὼς, *Iove natus*: Plato: φὺς ἀγαθῶν πατέρων, *bonis parentibus natus.* Isocrat. Τελαμῶνος μὲν Αἴας καὶ Τεῦκρος ἐγεννήθη, *Telamone quidem natus est Aiax et Teucer.*

ANNOTATIO.

In his et similibus exemplis desideratur praepositio ἐκ, *vel alia. Huc spectare videntur illa Lucian.* ἔπιε τοῦ κωνείου, bibit cicutam. ἔπιον τῆς βαφῆς, tincturam biberunt. *Idem*: πιόντες οἴνου, bibentes de vino. φαγόντες ἐχίδνης, edentes de vipera. *His enim et similibus locutionibus pars vel materia significari videtur.*

Regula IX. Interdum exprimitur materia in dativo. Hom. αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δὲ ἐλέφαντι, *alterae enim cornibus fabricatae sunt, alterae ebore.*

Regula X. Multa denique verba regunt genitivum vi praepositionis, cum qua sunt composita. Lucian. ἀπωθεῖν τοῦ συμποσίου, *repellere a convivio.* Aristoph. ἐκβαλῶ τῆς οἰκίας, *ejiciam domo.* Lucian. ἀποπέμψομαι ὑμᾶς τοῦ συμποσίου, *ejiciam vos è convivio.*

ANNOTATIO.

Hic ἀποθεῖν, *et futurum* ἐκβαλῶ *genitivum habent, quia* ἀπὸ *et* ἐκ, *quibus constant, genitivo junguntur. Id ipsum accidit nonnumquam in latina syntaxi. Hinc,* propugnat nugis, *pro* pugnat pro nugis, *apud Horat. et*: Neu quid medios intercinat actus. *Et apud Ciceronem*: Arbitrum illum adegit. *Quibus locis verba vi praepositionis, cum qua componuntur, casum regunt.*

DATIVUS POST VERBUM.

Regula I. Verba quae commodum, incommodum, auxilium, opem, favorem aut adulationem significant, dativum habent, sicut apud latinos.

Commodum et *incommodum.*

Isocrat. λυσιτελεῖ τῇ πόλει, *prodest civitati.* Idem: συμφέρει τῷ λέγοντι, *prodest dicenti.* Demosth. λυμαίνομαι τοῖς ὅλοις, *noceo reipublicae.*

Auxilium et *adulationem.*

Demosth. βοηθεῖν αὐτοῖς, *auxiliari ipsis.* Isocrat. ἥκον ὑμῖν ἀμυνοῦντες, *venerunt nobis auxilio.* Demosth. οὐ ῥᾴδιον εὐνοεῖν τοῖς κα-

κονόοις, *non est facile favere malignis.* Plutarch. ὅπως τοῖς πλουσίοις κολακεύωσι, *ut blandiantur divitibus.*

EXCEPTIONES.

Verba commodi et incommodi, opis et auxilii et adulationis, regunt accusativum frequenter apud graecos. Demosth. τὸν βουλόμενον εὐποιεῖν ἡμᾶς ἐάσομεν, *sinamus illum, qui vult nobis benefacere.* Demosth. τοὺς εὐποιοῦντας ἡ πόλις ἀντευπεποίηκε, *civitas bene de se merentibus vicissim benefecit.* Μενέλεων εὐεργετεῖς κἀμέ, *Menelao benefacis et mihi.* idem: δρᾷς δ' οὐδέν ἡμᾶς εὖ, *nobis nihil boni facis.* Lucian. ἴσα ἐργάσεταί σε οἷα καὶ σὺ ἔδρασας τὸν Κρόνον, *idem tibi faciet, quod tu fecisti Saturno.*

Cum dativo legitur. Luc. 6: καλῶς ποιεῖτε τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, *benefacite iis qui vos oderunt.* Sic dicimus κακῶς ποιεῖν τινα, seu κακοποιεῖν, *malefacere alicui.*

His adde verbum βλάπτω, *noceo.* Plato: ἐμὲ μὲν οὐδὲν βλάψει Μέλιτος, *nihil mihi nocebit Melitus.* Idem: οὐκ ἐμὲ μεῖζω βλάψετε, ἢ ὑμᾶς αὐτούς, *non magis mihi quàm vobis nocebitis.* Demosth. λυμαίνεσθαι τὴν πόλιν, *nocere civitati.* Xenoph. μηδένα τῶν ἀνθρώπων κολακεύειν ἕνεκα μισθοῦ, *nulli hominum adulari mercedis causså.* Lucian. οὐ πολύ σε ὀνήσει ἡ ἀθανασία, *non multum tibi proderit immortalitas.*

ANNOTATIO.

Reperitur itidem apud latinos, noceo te, adulor te, *graecorum imitatione. Ceterum verba alia dativo jungi solita, graecisque cum latinis communia praetereo, cujusmodi sunt verba tribuendi, seu attribuendi, promittendi et minandi, credendi et diffidendi, obsequendi et repugnandi, appropinquandi, serviendi et ministrandi, invidendi, insidiandi, nuntiandi, conveniendi seu congruendi, suadendi, et similia. Itemque verbum* εἰμὶ, *quod modo unum, modò duos dativos habet. Eurip.* τί γὰρ δεῖ με ζῆν, ᾗ πατὴρ ἦν μὲν ἄναξ φρυγῶν ἁπάντων, quid enim me oportet vivere, cui pater erat rex omnium phrygum? *Plato:* ἄλλ' ὅρα, εἴ σοι βουλομένῳ εἴη, ἃ λὲγω, vide, num tibi probentur quae dico.

Regula II. Dativum habent verba pugnandi, sequendi, adorandi, precandi, hortandi, lubendi, occurrendi, incidendi, conversandi, utendi, reprehendendi.

Pugnandi et sequendi.

Aristoph. οὐ μάχομαί σοι, *non pugno tecum.* Hom. οὐκ ἄν μοι ἐρίσσειεν, *non contendet mecum.* Lucae 5: ἀκολούθει μοι, *sequere me.* Theog. ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς ἕπεται γνώμητε

καὶ αἰδώς, *viros bonos sequitur mens et verecundia.*

Adorandi et *precandi.*

1 Cor. 14: προσκυνήσει τῷ Θεῷ, *Deum adorabit.* Matth. 2: καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ, *et venimus adorare eum.* Demosth. Θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις, *omnes deos et deas precor.* Sophocl. Θεοῖς ἀρᾶται, *precatur deos.*

Hortandi, jubendi, et *occurrendi.*

Lucian. τῷ Νέστορι τὸ δέον παρανέσειας ἄν, *etiam Nestorem admonere posses quid facto opus esset.* Xenoph. τοῖς ἄλλοις παρεκελεύοντο, *alios adhortabantur.* Hom. φίλῳ ἐκέλευσεν ἑταίρῳ, *mandavit fido socio.* Sophocl. ἀντήσας σοι, *cum tibi occurrisset.* Lucae 10 λησταῖς περιέπεσε, *incidit in latrones.* D. Chrisost. τῷ Θεῷ προσιόντας, *ad Deum accedentes.*

Conversandi et *utendi.*

Menandr. Σοφοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ σοφός.
Κακοῖς ὁμιλῶν, κἀυτὸς ἐκβήσῃ κακός.
Si cum sapientibus versaris, etiam ipse eris sapiens.
Si cum malis versaris, etiam ipse malus eris.

Plutarch. ἐχρήσατο φιλανθρώπως πᾶσιν, *humaniter tractavit omnes.* Isocrat. μηδένα φίλον

ποιοῦ, πρὶν ἂν ἐξετάσῃς, πῶς κέχρηται τοῖς προτέροις φίλοις, *neminem tibi adjungas amicum, priusquam exploraveris quomodo prioribus amicis usus sit.*

Reprehendendi.

Isocrat. θυμουμένοις μὲν φίλοις εἴκειν δεῖ, πεπαυμένοις δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττειν, *iratis amicis cedendum est, sedata irâ reprehendendi sunt.*

EXCEPTIONES.

Ex his verbis construuntur nonnulla, sed minus frequenter, cum aliis casibus. Demosth. οὐδεὶς μέμφεται τὴν πόλιν, *nullus reprehendit civitatem.* Isocrat. παρακαλεῖν ἀλλήλους, *hortari se mutuò.* Reperitur etiam προσκυνεῖν τὸν θεόν, *adorare Deum.*

Verbum νικάω accusativum habet. Lucian. νικῶ σε, *vinco te.* Quamvis κρατῶ, ut suprà diximus, etiam genitivum habeat.

Μιμέομαι *imitor* itidem cum accusativo copulatur. Isocrat. μιμεῖσθαι τὰς ἐκείνων πράξεις, *illorum res gestas imitari.*

ANNOTATIO.

Verba, quae hac secunda regula sumus complexi, jungunt latini nonnumquam cum dativo per hellenismum. Vir-

gilius: montibus in nostris solus tibi certet Amyntas. *Idem*: placitone etiam pugnabis amori? *Lucret.* Quid enim contendat hirundo cycnis? *et aliàs saepe.*

Regula III. Multa verba dativum habent vi praepositionis, ex qua componuntur, cujusmodi praaepositiones potissimùm sunt, συν, ἀντὶ, ἐπὶ, παρὰ, πρὸς, ἐν, ὑπό: d. Chrysost. τῇ ἐσχάτῃ πενίᾳ συνέζη, *extreme pauper erat*: ad verbum, *extremae paupertati convivebat.* συμπαίζειν τοῖς ἡλικιώταις, *paribus colludere.* Xenoph. τούτοις ἀντιλέγων, *his contradicens* Plutarch. ἐπιχειρεῖν τῷ ἔργῳ, *rem aggredi.* τούτῳ παρέστης, *huic adstitisti.* ἐπιγελᾷν τινί, προσγελᾷν, καὶ προσμειδιᾷν, *alicui arridere.* Quamvis ἐπιγελᾷν sit etiam *irridere.* Isocrat. ἀτυχοῦντι μὴ ἐπιγέλα, *misero ne illuderis.* Demosth. προσπίπτειν σοὶ νόμιζε ταύτην τὴν πόλιν, *putes hanc tibi civitatem accidere*, id est, *accidere ad genua.* ἐμμένειν ταῖς συνθήκαις, *manere dictis, pactis*, passim apud Isocratem. Lucian. ὑπῆλθε χρυσῷ, ὕδατι, *subiit aurum, aquam.*

ANNOTATIO.

Apud latinos multa ex verbis neutris dativum admittunt propter praepositiones, ad, con, in, et similes, ut docet Emmanuel. Hinc immori studiis et impalle-

scere. Colludere paribus. Concurrere armatis, *et alia hujus generis.*

ACCUSATIVUS POST VERBUM.

Regula I. Plurima verba actionem significantia regunt accusativum. ἀδικεῖν τοὺς φίλους, *amicos injuriâ afficere.* πίνειν οἶνον, *bibere vinum.* ἐσθίειν κρέα, *edere carnes.*

ANNOTATIO.

Nomine verborum actionem significantium, *intelligi volumus non tantùm verba activa, sed etiam communia, deponentia et neutra; nam et haec interdum actionem significant, ut recte docet Emmanuel: nisi forte,* φιλεῖν, amare, *magis sit actio, quam* μάχεσθαι, pugnare; βιάζεσθαι, cogere, vi adigere; βούλεσθαι, velle.
Non est autem dictum in regula, omnia verba actionem significantia poscere accusativum, *sed* plurima : *quia de omnibus id minimè verè affirmari potest; nisi quis contendat, nulla verba, quae superiùs cum genitivo et dativo jungi diximus, significare actionem.*

Regula II. Apud graecos non tantùm activum, sed verbum etiam passivum conjungi potest cum accusativo nominis à se dedu-

αι. δίκην δικάζω, *judicium judico.* δεῖπνον δειπνῶ, *coenam caeno.* ὕβριν ὑβρίζω, *injuriam facio.* Hesiod δῶρον ἐδώρησαν, *donum donarunt.* ἐπιτρέπω σοι ἐπιτροπήν, *committo tibi curationem aliquam.* ἐπιτρ'πομαι ἐπιτροπήν, *committitur mihi curatio aliqua.* ὑβρίζομαι ὕβριν, *injuriâ afficior.*

Regula III. interdum ponitur verbale in dativo. χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet.* ἁμαρτάνει ἁμαρτήματι, *peccat peccato.*

ANNOTATIO.

Idem latinis usitatum est, si non in passivis, at saltem in aliis. Hinc, furere furorem, cantare cantilenam, vivere vitam, *et alia hujusmodi.*

Regula IV. Accusativum habent verba reverendi αἰσχύνομαι, σέβομαι, τιμῶ, αἰδέομαι. Orandi, ut λιτανεύω, ἱκετεύω, *supplico*; ἀντιβολῶ, *oro*; ἐκλιπαρῶ. Demosth. ὑμᾶς αἰσχύνομαι λέγειν περὶ ἐκείνης τι φλαῦρον, *revereor vos*, id est *pudet me apud vos de illa aliquid mali dicere.* Homer. αἰδέομαι Τρῶας, *revereor trojanos.* Isocrat. τίμα τὸ δαιμόνιον, *Deum cole.* Demosth. ἀξιῶ ὑμᾶς, *rogo vos*: ἀντιβολῶ τοὺς δικαστάς, *rogo judices.* Plutarch. ἱκετεύουσι τὰς γυναῖκας, *supplicant mulieribus.*

Praedictis adde verba miserendi, ἐλεῶ, οἰκτείρω, κατοικτείρω, οἰκτίζομαι. Lucian. οἰ-

κτείρω τὴν τύχην, *miseret me calamitatis*. psalm. 30, 55, 56: ἐλέησόν με Θεός, *miserere mei Deus*.

Εὔχομαι, cùm *precari* significat, dativum regit, εὔχομαι τῷ Θεῷ, *oro Deum*. Quando idem est quod *vovere*, accusativum petit. εὔχομαι θυσίαν, *voveo sacrificium*.

Regula v. Multa verba habent accusativum per ellipsin alicujus praepositionis. Theocr. ἀλγέω τὰν κεφαλάν, *doleo caput*. Abest κατά.

VERBA EADEM IN CASU DIVERSO.

Licet ex his, quae hactenus diximus, clarum sit, multa verba cum casu diverso construi, hic tamen breviter in specie quaedam notanda sunt.

Regula 1. Verba memoriae et oblivionis, modò genitivum, modò accusativum habent, sicut apud latinos. Demosth. τῶν ἐμοὶ πεπραγμένων οὐχὶ μέμνηται, *rerum à me gestarum non meminit*. Homer. μνῆσαι πατρὸς σεῖο, *memento patris tui*. Idem: μέμνημαι τόδε ἔργον ἐγώ, *memini hoc factum*. Isocrat. ὅταν τὰς λύπας ἀναμνησθῶμεν, *quando recordamur dolores*: ἀναμνησθέντες φοβεροῦ τινος, ὠχριάσαμεν, *recordati alicujus rei formidandae, expallescimus*. Isocrat. οὐκ ἀμνημονῶν οὔτ' ἐκείνων, *neque illorum ero immemor*. Demosth. οὔτε ἀμνημονεῖ τοὺς λό-

γους, οὔτε τὰς ὑποσχέσεις, *neque obliviscitur sermones, neque promissiones*. Homer. τοῦδε οὐκ ἐπιλήσομαι, *hujus non obliviscar*: ab ἐπιλανθάνω. Xenoph. εἴ τίς τι ἐπιλελησμένος εἴη, *si quis quid oblitus esset*.

Regula II. Verbum ἀπολαύω, *fruor* seu *potior*, nunc genitivum, nunc accusativum regit. Plato: καὶ μέντοι καὶ τούτων ἀπέλαυον, *et sane his quoque potitus sum*. Aristoph. ἀγαθὸν γὰρ ἀπέλαυσ' αὐτοῦ οὐδὲν πώποτε, *nihil boni umquam ab eo accepi*.

Regula III. Huc praeter verba sensuum, et alia de quibus passim suprà, spectant etiam haec. Aristoph. ὄζω μύρου, et ὄζω μύρον, *oleo unguentum*. Theocr. ἔτι γλυφάνοιο ποτόσδον, *recens factum*: πνέει θυμὸν, καὶ πνέει θυμοῦ, *spirat iram*: ἐμποδίζω σε, καί σοι, *impedio te*, et sic de aliis: πειράζω σε, καὶ σου, *tento te*. Lucian. ἐπειδὴ τάχιστα συνῆκε τοῦ κρείττονος, *simul atque intellexit quod erat melius*. Plutarch. συνεὶς Βρουτος τὸ πεπραγμένον, *cum Brutus intellexisset quod factum erat*.

Regula IV. Genitivum, dativum, et accusativum habet μέμφομαι, *reprehendo*. Thucyd. ὧν οὐδεὶς ἐμέμψατο, *quae nemo vituperavit*. Exempla dativi et accusativi attulimus suprà.

Regula V. Quaedam verba diversis casibus juncta, mutant significationem. Herod. πατρὶ τιμωρῶν, *illatam patri injuriam vindicans*. Actor. 26: τιμωρῶν αὐτοὺς, *puniens*

illos. Theodoret. δεῖ τῷ θεῷ θαῤῥεῖν, *oportet Deo confidere*. Demosth. οὔτε ὁ Φίλιππος ἐθάῤῥει τούτους, *neque Philippus audebat hos aggredi*. ἐκδικῶ σε, *punio te*. Thucyd. ἀμύνονται σφίσιν αὐτοῖς, *defendunt seipsos*. Plutarch. ἠμύνατο τοὺς πολεμίους, *propulsabat hostes*: διαφέρει αὐτοῦ, *differt ab ipso*: διαφέρει αὐτῷ, *ejus interest, refert*.

CAPUT XI.

DE

CONSTRUCTIONE

TRANSITIVA VERBORUM QUAE PLURES SIMUL HABENT CASUS.

Dedimus hactenus regulas de verbis, quae vel unum casum habent, vel etiam diversos; sed non simul junctos neque se mutuò in oratione sequentes. Restat ut nunc paucas praeceptiones praescribamus

de verbis, quae casus diversos simul junctos et ex se mutuo nexos admittunt.

GENITIVUS CUM ACCUSATIVO.

Regula I. Verba accusandi, absolvendi, damnandi, praeter accusativum admittunt genitivum, qui poenam criménve certum aut incertum significet. Demosth. ἐγὼ γὰρ Αἰσχίνην οὐδενὸς αἰτιῶμαι τῶν ἐν πολέμῳ πραχθέντων, *ego enim Aeschinem nullius eorum accuso, quae in bello gesta sunt*: καταγινώσκω σε φόνου, *condemno te caedis*. Lysias: προσκαλοῦμαί σε τραύματος, *arcesso te vulneris*. Lucian. γράφομαί τινα μοιχείας, *accuso aliquam adulterii*. Plato. κατηγόρουν ἐμὲ οὐδὲν ἀληθές, *de nullo vero crimine me accusabant*. Demosth. ἀφίημί σε τῶν ἐγκλημάτων, *absolvo te criminibus*. Polyb. τοὺς καταιτιασθέντας ἀπολύσαντες τῆς ἐπενεχθείσης αὐτοῖς διαβολῆς, *accusatos liberarunt impacto crimine*. Lucian. ἀφίεμέν σε τῆς αἰτίας, *absolvimus te crimine*.

EXCEPTIONES.

Exceptio I. Accusativum personae mutant aliquando graeci in genitivum, et genitivum rei vel criminis in accusativum. Lucian. κατηγορῶ πολλὴν ἄνοιαν αὐτοῦ, *accuso multam ejus imprudentiam*. Sic καταγινώσκω

σου ἀμαθίαν, ἢ κακίαν, *condemno tuam inscitiam, vel malitiam*. Isocrat. τὸ μὲν τελευτῆσαι πάντων ἡ πεπρωμένη κατέκρινε, *fatum decrevit omnibus mortem*.

Exceptio II. Interdum ponitur in genitivo tam persona quam crimen. Aeschin. κατηγορῶ σου ἁπάντων τῶν τεττάρων, *accuso te de omnibus quatuor*. Demosth. εἰ μὲν οὖν παρανόμων, ἢ παραπρεσβείας, ἢ τινος ἄλλης τοιαύτης αἰτίας ἔμελλον αὐτοῦ κατηγορεῖν, *quod si vel violatarum legum, vel falsae legationis, vel alterius id genus cujusdam criminis illum accusaturus essem*.

Exceptio III. Aliquando ponitur tam persona quàm crimen in accusativo. Demosth. αἰτιῶμαί σε τόδε, *accuso te hujus*.

Exceptio IV. In quibusdam effertur persona aut res in dativo. ἐγκαλῶ σοι τούτου, vel τοῦτο, *accuso te hujus criminis*: καταδικάζω σε θανάτῳ, *condemno te morte*.

Exceptio V. Aliquando additur praepositio, manente vel mutato genitivo: διώκω σε περὶ θανάτου, *accuso te de capite*. Herodot. τοῦτον πεφυγαδεῦσθαι ἔλεγον ἁλόντα ἐπὶ στάσεσι καὶ πολλοῖς αμαρτήμασι, pro στάσεων καὶ πολλῶν ἁμαρτημάτων, *hunc in exilium actum dicebant de seditionibus multisque criminibus convictum*. Demosth. ἀφίεσθαι ὑπό τινος καὶ απαλλάττεσθαι, *absolvi ab aliquo, et crimine liberari*.

Exceptio VI. Genitivus criminis transit

aliquando eleganter in participium: ἀσεβῶν οὕτως ἑάλωκε, pro ἀσεβείας, *impietatis damnatus est*. Sic ἑάλω κλέπτων, pro ἑαλω κλοπῆς, *in furto deprehensus est*.

Exceptio VII. Verba aestimandi, vendendi, emendi, satiandi et similia, praeter genitivum etiam accusativum habent: quod in multis fit propter ellipsin particulae ἕνεκα vel χάριν, vel propter praepositionem cum qua componuntur.

Aestimandi.

Demosth. ἔστι τοίνυν σκεπτέον, εἰ τοσούτου τιμᾶσθε τὸν πολιτείαν καὶ τοὺς κειμένους νόμους, *vobis itaque considerandum est, utrum tanti faciatis rempub. legesque latas*. D. Chrysost. πολλοῦ τὴν ἡμετέραν τιμώμενος φιλίαν, *magni nostram amicitiam aestimans*. Xenoph. μείζονος δῶρα αὐτὰ τιμῶνται οἱ λαμβάνοντες, *dona illa pluris aestimant qui accipiunt*.

Vendendi et *emendi.*

Lucian. πόσου τοῦτον ἀποκηρύττεις; δέκα μνῶν, *quanti istum vendis? decem minis*. Xenoph. πρίασθαι ταλάντου επιστάτην, *talento emere praefectum*. Demosth. ουκ ωνοῦμαι μυρίων δραχμῶν μεταμέλειαν, *non emo decies mille drachmis poenitentiam*. Isocrat. πολλοὶ σύμπασαν αρετὴν καὶ εὐδαιμονίαν ολίγου πωλοῦσι, *multi omnem virtutem et felicitatem parvi*

vendunt. Sic Aristoph. δέομαί σου τοῦτο, *hoc abs te peto.* Idem : ἀπέλαυσ' αυτοῦ ἀγαθὸν ουδέν, *nihil boni ab illo accepi.*

Permutandi et *alia.*

Homer. τεύχε ἄμειβε χρύσεα χαλκείων, *arma permutavit aurea aereis.* ἀλλάττειν χρυσοῦ ἀργύριον, *permutare auro argentum.* Andocid. ἀναμιμνήσκειν ὑμᾶς τῶν γενομένων κακῶν, *revocare vobis in memoriam praeterita mala.* Demosth. εὐδαιμονήσας Φίλιππον τῆς τύχης, id est ἕνεκα, *Philippum ob fortunam beatum praedicans.* Plutarch. προτιμᾷν τὴν δικαιοσύνην τῆς βασιλείας, *iustitiam regno praeferre.*

ANNOTATIO.

Verba magni facere, pluris facere, nihili facere, *fere circumloquuntur graeci cum genitivo, addita praepositione* περι. *Isocrat.* περι πλέιονος ποίει δόξαν καλήν ἢ πλοῦτον μέγαν, pluris fac gloriam, quam magnas opes. *Idem:* τοὺς νόῦν ἔχοντας περὶ πολλοῦ ποιοῦ καὶ θεράπευε, sapientes magni facito et cole. περὶ ὀλίγου ποιεῖν, parvi facere. περὶ οὐδενὸς ποιεῖν, nihili facere. περὶ πλείστου, maximi. *Isocrat.* πρὸ πολλοῦ ἂν ἐποιησάμην, magni facerem.

Sunt porrò nonnulli qui proprias regulas praescribant de verbis genitivum et

accusativum , vel genitivum et dativum habentibus ; et rursum alias de verbis , quae regunt accusativum et genitivum , vel dativum et genitivum; quasi verò non sit eadem constructio si dicam, δέομαί σου τοῦτο, τοῦτο δέομαί σου, δέομαι τοῦτό σου. *vel ,* οὐ μέλει μοι Γύγχο, *vel* οὔ μοι μέλει Γύγχο, non est mihi curae Gyges.

GENITIVUS CUM DATIVO.

Regula I. Multa verba genitivum et dativum postulant. Plato: ἵνα μετέχῃ τῶν πραγμάτων αὐτοῖς, *ut cum ipsis factorum particeps esset.* Xenoph. τοῦ βάρους μεταδιδόναι τοῖς φίλοις δεῖ. *molestiam cum amicis communicare oportet.* Anacreon: οὔ μοι μέλει Γύγχο, *non est mihi curae Gyges.* Plutarch. ἀμφισβητῶ σοι τοῦ χωρίου, *contendo tecum de praedio.* Demosth. εἴ τι μέλει τῶν ἀνθρώπων τοῖς θεοῖς, *si qua diis rerum humanarum cura est.* Plato: διαφέρει μοι τούτου, *hoc meâ interest.*

ANNOTATIO.

Dicimus etiam διαφέρει μοι τοῦτο, hoc mea interest: τί σοι τοῦτο διαφέρει; quid hoc tuâ refert? *Demosth.* ᾧ ἐκείνους σωθῆναι μάλιστα διέφερεν, cujus multum intererat, ut illi servarentur.

DATIVUS CUM ACCUSATIVO.

Regula I. Verba dandi, reddendi, committendi, promittendi, sicut apud latinos, ita apud graecos dativum cum accusativo poscunt. Neque opus est exemplis.

Regula II. Verba anteponendi et postponendi ferè praeter accusativum genitivum habent propter praepositiones: ut προτιμᾶν, προαιρεῖσθαι, προτάττειν, προκρίνειν, *anteponere*, *praeferre*. Plutarch. τὸν ἐπιεικῆ προτιμᾶν τοῦ πλουσίου, *virum modestum praeferre diviti.*

ANNOTATIO.

Multa alia verba dativum cum accusativo, vel hunc cum illo habent, quae usu et lectione notabis. Neque enim omnia regulis comprehendi possunt. Xenoph. συνειδὰς αὑτῷ πολλὰ καὶ πονηρά, qui multa mala sibi conscit. *Plutarchus*: διαλλάττει τὰς πόλεις ἀλλήλαις, conciliat inter se civitates. *Et eadem erit constructio si dicas*: διαλλάττει ἀλλήλαις τὰς πόλεις, *vel* ἀλληλαις διαλλάττει τὰς πόλεις.

Regula III. Nonnumquam ponitur accusativus cum dativo per ellipsin praepositionis κατὰ, vel διὰ, vel alterius. Xenoph. τοῖς

φίλοις τὰ δίκαια βοηθεῖν, *amicis subvenire in rebus justis.* Plato: ἐπαινῶ σε ταῦτα, *laudo te propter haec.*

GEMINI CASUS CUM EODEM VERBO.

Regula I. Quaedam verba geminum habent genitivum. Aeschin. κατηγορῶ σου ἁπάντων τῶν τετλάρων, *accuso te de omnibus quatuor rebus.*

Regula II. Quaedam geminum dativum habent. Demosth. σαυτῷ συν'δεις ἀδικοῦντι, *conscius tibi eras te injustè facere.*

Regula III. Alia duplicem habent accusativum; cujusmodi sunt verba celandi, docendi, rogandi, monendi, petendi, vestiendi. Lysias: τὴν θυγατέρα ἔκρυπτε τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρός, *celavit filiam mortem viri.* διδάσκω σε γραμματικήν, *doceo te grammaticam.* Lucian. σχεδὸν τὰ ἀυτά με εἴρετο, *fere eadem me interrogavit.* Plato: ἀναμνήσω ὑμᾶς τὰ τούτῳ πεπραγμένα, *admonebo vos illorum, quae hic gessit.* Demosth. ὑπομνῆσαι τοὺς χρόνους ὑμᾶς, καὶ τὸν καιρὸν ἀνάγκη, *necesse est admonere vos temporum illorum et occasionis.* Aeschin. τέλη τοὺς παραπλέοντας ἐξέλεγον, *tributa à praeternavigantibus exigebant.* Matth. 27: ἐξέδυσαν ἀυτὸν τὴν χλαμύδα, καὶ ἐνέδυσαν ἀυτὸν τὰ μάτια ἀυτοῦ, *exuerunt eum chlamyde seu*

chlamydem; et induerunt eum vestimentis seu vestimenta sua.

ANNOTATIO.

Nam sacer interpres graecam structuram retinuit, quae alias voce activa apud latinos non est usitata, quamvis in passiva. Virgil. — deinde comantem

Androgei galeam clypeumque insigne decorum

Induitur.

Dicimus etiam, ἀποστερῶ σε τὰ χρήματα, καὶ τῶν χρημάτων, privo te pecuniis. *Et sic de ceteris privandi verbis.* ποτίζω σε γάλα, καὶ γάλακτι, poto te lacte. *Reliqua usus docebit.*

CAPUT XII.

DE

VERBIS IMPERSONALIBUS.

REGULA I. Impersonalia fere sequuntur constructionem suorum personalium; et interdum quidem genitivum habent. Demosth.

δεῖ γὰρ χρημάτων, *opus est pecuniis.* Eurip. ὅταν δὲ ὁ δαίμων εὖ διδῷ, τί χρὴ φίλων; *quid opus est amicis, si Deus res secundas mittat?*

Regula II. Interdum habent genitivum et dativum simul: μέλει μοι τούτου, *hoc est mihi curae.* οὐδὲν δεῖ μοι πολέμου καὶ μάχης, *non opus est mihi bello et pugnâ.* Plato: διαφέρει μοι τούτου, *hoc mea refert.* μεταμέλει μοι τῆς ἁμαρτίας, *poenitet me peccati.*

Et cum accusativo. Aristoph. οἴομαι δέ σοι ταῦτα μεταμελήσειν, *puto fore, ut te horum poeniteat.*

Regula III. Quaedam tantùm dativum regunt. προσήκει μοι τοῦτο, *hoc mihi convenit.* συμφέρει πόλει, *conducit civitati.*

Regula IV. Conjunguntur etiam cum infinitivis tam activa quàm passiva impersonalia, more latinorum. φιλεῖ γενέσθαι, *solet fieri.* δεῖ μανθάνειν, *oportet discere.*

CAPUT XIII.

DE

CONSTRUCTIONE

VERBI PASSIVI.

Regula I. Verbum passivum postulat genitivum cum praepositione ὑπὸ, παρὰ, πρὸς, διὰ. Demosth. ἐξηπάτησθε μὲν ὑμεῖς ὑπὸ Φιλίππου, *decepti estis à Philippo.* Lucian. πρὸς θεοῦ καὶ ἀνθρώπων τὰ εἰκότα τετίμηται, *a Deo et hominibus honore debito affectus est.* Halicarn. τὰ παρὰ τῆς βουλῆς ὁμολογηθέντα, *concessa à senatu.* Xenoph. σημαίνεσθαί τι παρὰ τοῦ θεοῦ, *significari aliquid à Deo.* διὰ θεῶν ἐσώθην, *servatus sum à diis.*

Regula II. Graeci saepe verbis neutris et aliis, quamvis absolutis, pro passivis utuntur, eamdemque constructionem illis tribuunt. Demosth. τηνικαῦτα τηλικαύτῃ καὶ τοιαύτῃ συμφορᾷ περιπέπτωκεν ὑπὸ τούτου, *tunc in tantam atque talem calamitatem propter istum incidit.* Lucian. ἀπέθανεν ὑπὸ τῆς

γυναικὸς φαρμάκῳ, *interfectus est ab uxore veneno.* Demosth. ἐφ' οἷς δικαίως ἂν ἀποθάνοις ὑπὸ τῶν δικαστῶν, *propter quae meritò occidaris à judicibus.* 1 Corinth. 10 ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο, *perierunt à serpentibus.* Lucian. ὑπὸ τοῦ δίσκου ἀπώλετο, *periit à disco.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budaeus, qui etiam notat latinos hoc genus dicendi esse imitatos: Terent. Herus, quantum video, ab uxore excidit. ἐκπέπτωκε, *id est*, ejectus et exactus est. *Cic.* Nihil esse valentius, à quo intereat. *Plin.* Periit ab Hannibale.

Solent autem graeci saepe verbis activae vocis in passiva significatione uti; ut mirum non sit, si illis quoque passivam constructionem tribuant: ἀπαλλάττω, liberor : ἀπαλλάττω ὑπό σου : ἀναλαμβάνω, recreor, ἀνακάμπτω, reflector, ῥίπτω, jactor, ἀσκῶ, exerceor, κρύπτω, occultor, *et alia multa de quibus dictum est lib.* 1.

Regula III. Passiva interdum dativum habent, ablata praepositione. πέπρακται ἐμοὶ, λέλεκται ἐμοὶ, pro ὑπ' ἐμοῦ, *factum est mihi, dictum est mihi*, pro *a me.*

Regula IV. Passiva eumdem accusativum immo alios fere omnes casus suorum activorum retinent ἐγχειρίζω σοι ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν, **commitlo tibi hanc curam.** ἐγχει-

ῥίζομαι ταύτην τὴν ἐπιμέλειαν, *committitur mihi haec cura.* κρίνεται, κατηγορεῖται κλοπῆς, *accusatur furti.* ἀπεστέρηται χρημάτων, *privatus est pecuniâ.* γεγύμνωται τῆς ἐσθῆτος, *nudatus vestibus.*

CAPUT XIV.

DE CONSTRUCTIONE COMMUNI OMNIUM VERBORUM.

DATIVUS COMMUNIS CUM PRAEPOSITIONE.

REGULA I. Propria pagorum, castellorum, urbium, et omnia alia nomina ponuntur in dativo post quodvis verbum, si interrogatio fiat per adverbium ποῦ, *ubi?* Herodian. διέτριψεν ὀλίγον χρόνον ἐν Ῥώμῃ, *exiguo tempore moratus est Romae.* Lucian. τῷ παιδὶ τάφον ἐχωσάμην ἐν Ἀμύκλαις, *puero tu-*

mulum fodi Amyclis. ποῦ ἐστι; *ubi est?* ἐν ἀγρῷ, *in agro*, *ruri*, vel *rure*; ἐν πόλει, *in urbe*; ἐν ἀγορᾷ, *in foro*; ἐν οὐρανῷ, *in coelo.*

Regula II. Nomina urbium et aliorum locorum ponuntur interdum in adverbio. ποῦ ἐστι; *ubi est?* οἴκοι, *domi*; Ἀθήνησι, *Athenis.*

Regula III. Interdum omittitur praepositio. Thucyd. στήλας δὲ στῆσαι Ὀλυμπιάσι καὶ Πυθοῖ καὶ Ἰσθμῷ, *columnas esse erigendas Olympiae apud Pytho et Isthmum.*

Regula IV. Si interrogatio fiat per adverbium ποῖ, *quò?* utendum est accusativo cum praepositione εἰς *vel* ἐς, et hoc quotiescumque motus ad locum significatur, nomine proprio, sive appellativo. Thucyd. ἦλθον καὶ αὐτοὶ εἰς Ἀθήνας, *venerunt et ipsi Athenas.* ἀφικνοῦμαι εἰς Ῥώμην, *venio Romam.*

Regula V. Accusativus mutatur nonnumquam in adverbium, ἀφικνοῦμαι Ἀθήναζε, *venio Athenas.*

Regula VI. Interdum omittitur praepositio. Homer. ἐπειδὴ νῆάς τε καὶ Ἑλλήσποντον ἵκοντο, *postquam ad naves et Hellespontum venerunt.* Idem: πόλεμον δ' ἴεν, *ivit in militiam.* Quamvis hîc potiùs pro adverbio ponatur.

GENITIVUS COMMUNIS

CUM PRAEPOSITIONE.

Regula I. Si interrogatio fiat per adverbium *πόθεν; unde?* in genitivo respondendum est; et hoc quotiescumque motus à loco significatur, ἐκ Ῥώμης, *Roma*, ἐξ ἀγροῦ ἐπανέρχομαι, *rure redeo*.

Regula II. Nomina locorum, per quae motus fieri significatur, ponuntur in genitivo cum proepositione διά. διὰ θαλάττης, *per mare*. διὰ τῆς Ἑλλάδος, *per Graeciam*.

Regula III. Genitivus mutatur nonnumquam in adverbium. Ἀθήνηθεν, *Athenis*. οἴκοθεν, *domo*. ἀγρόθεν, *ex agro*.

CONSTRUCTIO TEMPORIS.

Regula I. Tempus accusativo efferimus, si interrogatio fiat per πόσον χρόνον, *quanto tempore*? seu *quamdiu?* quod fit, quotiescumque tempus continuum significamus. Demosth. οἱ χρηστοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας, *boni legati tres integros menses consederunt in Macedonia*.

Regula II. Aliquando additur accusativo praepositio. Diodor. ἐπί τινας ἡμέρας ἡσυχίαν εἶχον, *aliquot dies quieverunt*.

Regula III. Saepe effertur tempus in ge-

nitivo. Lucian. πέντε ὅλων ἐτέων λαλέειν μηδέν, *quinque integris annis nihil loqui.* Aristoph. πολλοῦ γὰρ αὐτοὺς οὐχ' ἑώρακα χρόνου, *longo enim tempore illos non vidi.*

Regula IV. Interdum adhibetur dativus. Herodian. Σεβῆρος ἐβασίλευσεν ὀκτωκαίδεκα ἔτεσι, *Severus regnavit octodecim annis.* εἴκοσιν ὅλοις ἔτεσιν ἀποδημήσας, *viginti annis peregrinatus.*

Regula V. Habet hic dativus nonnumquam praepositionem. παμπλείστοις ἐν ἔτεσιν, *plurimis annis.*

Regula VI. Quod si interrogatio fiat per adverbium πότε, *quando*? in genitivo respondebimus. Lucian. κοιμήσομαι τῆς νυκτός, *dormiam noctu.* Sophocl. μέτεισι οὐ μακροῦ χρόνου, *aderit non longo post tempore.* νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐργάζεται, *laborat die et nocte.*

Regula VII. Adhibetur non rarò dativus. Thucydides: τῇ αὐτῇ δὲ ἡμέρᾳ αὐτοῖς ξυνέβη, *eadem autem die ipsis accidit.* Idem: ὑστέρῳ χρόνῳ ἐπὶ Τροίαν ἐστράτευσαν, *posteriori tempore expeditionem susceperunt contra Trojam.*

Regula VIII. Aliquando utuntur auctores accusativo; ut in hac Aristotelis quaestione vides: διὰ τί τὸν μὲν χειμῶνα πρῴϊ ἀπὸ τῆς ἕω πνεύματα πνεῖ, τὸ δὲ θέρος, δείλης, καὶ ἀπὸ δυσμῶν, *quare hieme quidem venti ab oriente spirant manè; aestate verò circa crepusculum*, seu *vesperi, ab occidente?*

In qua sententia posuit χειμῶνα et θέρος in accusandi casu, δείλης verò in genitivo. Demosth. κατέπλευσαν δεῦρο τρίτον ἔτος, *navigarunt huc tertium abhinc annum.*

ANNOTATIO.

Videtur subintelligenda esse praepositio κατὰ, *cùm ad* πότε *respondetur per accusativum.* κατὰ τὸ θέρος, κατα τὸν χειμῶνα, κατὰ τοῦτον τὸν χρόνον, *nam interdum expressè additur praepositio. Lucae* 1. ἐν μηνὶ τῷ ἕκτῳ, in mense sexto, *et passim alias. Putant aliqui etiam in illis,* νυκτὸς, noctu, ἑσπέρας, vesperi, μεσημβρίας, meridie, νυκτῶν μέσων, media nocte, *subintelligi praepositionem* ἐπί.

GENITIVUS ABSOLUTUS.

Regula I. Quae latini in ablativo absoluto enuntiant, haec efferunt graeci in genitivo. Homer. οὔτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο, *nullus me vivente, superque terram conspecto.* Demosth. γενομένης ἐκκλησίας, *convocata concione.* Isocrat. τοσούτων ὄντων καὶ τῶν ἰδιωτῶν καὶ τῶν ἀρχόντων, *cùm tot sint privati et magistratus.*

Regula II. Aliquando loco genitivi ponitur dativus absolutè. Matth. 8. καταβάντι δὲ αὐτῷ ἀπὸ τοῦ ὄρους, ἠκολούθησαν αὐτῷ ὄχλοι πολλοί, *descendente illo de monte, secutae*

sunt illum turbae multae, pro καταβάντος αὐτοῦ. Thucyd. μενόντων ὑμῶν, ξύμμαχον γίγνεται, ὑποχωρήσασι δὲ εὔπορον ἔσται, μηδενὸς κωλύοντος, pro ὑποχωρησάντων, *manentibus vobis, pro vobis erit; cedentibus vero, facile occupabitur ab hostibus, nemine vetante.*

Regulâ III. Aliquando loco genitivi ponitur accusativus absolutè. Halicarn. ὡς δὴ ἀκίνδυνον αὐτοῖς τὸ ἔργον ἐσόμενον, pro ὡς ἀκινδύνου αὐτοῖς τοῦ ἔργου ἐσομένου, *quasi res illis sine periculo esset futura.* Arist. ὥσπερ οὐκ αὐτῷ χώραν τινὰ οὖσαν, *quasi ei non esset aliqua regio*, seu *aliquis locus.*

ANNOTATIO.

Plerumque addi solet ὡς *vel* ὥσπερ, *cùm accusativus pro genitivo absolutè ponitur. Aristot.* ὡς οὐχ ὁμοίως φύσει τῆς διαλέκτου οὔσης καὶ τῆς φωνῆς, ἀλλ' ἐνδεχόμενον πλάττεσθαι, quasi non similis sint naturae sermo et oratio, sed fingi ac formari ea contingat. ἐνδεχομένου *dicendum erat.*

Regula IV. Attici frequenter pro genitivo absoluto usurpant solum participium neutri generis, numeri singularis, in nominandi vel accusandi casu. Plato: δόξαν δὲ ἡμῖν ταῦτα, ἐπορευόμεθα, *cùm haec nobis visa et decreta essent, ibamus.* Demosth. γεγραμμένον διαῤῥήδην ἐν τῇ συγγραφῇ, *cum scriptum*

esset apertè in syngrapha. Sic. μικροῦ δεῆσαν pro δεήσαντος, *cum parum abfuisset.* ἐξὸν αὐτῷ, *cum illi liceret.* ἐξὸν φυγεῖν μὴ ζήτει δίκην, *cum licet fugere, ne quaere judicium.* ἀκουσθὲν αὐτῷ, *cùm jam audisset.* δόξαν ἐμοὶ γράψαι, *cùm scribere statuissem.* Et similia multa.

Regula v. Interdum ponitur solùm participium, reliquis casibus suppressis, ἐλθόντων δὲ, *venientibus verò*: subaudi ἀνθρώπων, *hominibus.*

DATIVUS INSTRUMENTI,

CAUSSAE, MODI, ACTIONIS.

Regula i. Quaevis verba admittunt dativum significantem instrumentum, aut caussam, propter quam aliquid fit, aut modum, quo aliquid fit. κοσκίνῳ ὕδωρ ἀντλεῖν, *cribro haurire aquam.* δόρατι διαπεῖραι, *hastâ confodere.* ξίφει κτείνειν, *gladio occidere.* Thucyd. προνοίᾳ πλεῖστα κατορθοῦνται, *plurima bene geruntur providentiâ.* Nicandr. ὄμμασιν ἀμβλώσσει, *caecutit oculis.*

Regula ii. Sicut apud latinos nonnumquam additur proepositio *cum*, ita apud graecos σύν. σὺν πολλῇ σπουδῇ, *magna cum diligentia.*

ACCUSATIVUS COMMUNIS

SPATII.

Regula I. Accusativum spatii vel mensurae admittunt pleraque verba. Herodian. ποταμὸς ἀπεῖχε τῆς πόλεως σημεῖα ἑκκαίδεκα, *fluvius ab urbe aberat sexdecim milliaria.* Thucyd. ἀπέχει δὲ ἡ Πλαταιὰ τῶν Θηβῶν σταδίους ἑβδομήκοντα, *abest Plataea Thebis septuaginta stadia.*

Regula II. Spatium vel mensura ponitur nonnumquam in dativo. διέχει ὁδῷ ἡμερῶν εἴκοσι, *abest viâ viginti dierum.*

CAPUT XV.

DE CONSTRUCTIONE MODORUM PRAESERTIM INFINITIVI.

Cum suae cuique linguae sint certae loquendi formulae nativique modi, quibus

aliis secernitur; *fit ut multa eleganter dicantur graece, quae non nisi ineptè dicerentur latinè: quod cùm in aliis passim tum verò maximè in modis verborum contingit, ut ex sequentibus exemplis planum fiet.*

Regula I. Graeci per indicativum multa efferunt, quae nos per conjunctivum. Aristot. ἡ δὲ κάμηλος πίνει ἥδιον θολερὸν καὶ παχὺ, οὐδ' ἀπὸ τῶν ποταμῶν πρότερον, ἢ συνταράξει, *camelus verò suavius bibit aquam turbidam et crassam; neque prius è fluviis bibit, quam conturbet*, seu *conturbaverit.* Xenoph. παρ' ἐμοὶ δὲ οὐδεὶς μισθοφορεῖ, ὅστις μὴ ἱκανός ἐστιν ἴσα ποιεῖν ἐμοί, *apud me nullus stipendio facit, qui non idoneus sit aequalia mecum facere.* Idem: οὐδὲν γὰρ οὕτω βραχὺ ὅπλον ἑκάτεροι εἶχον, ᾧ οὐκ ἐξικνοῦντο ἀλλήλων, *nulla enim arma tam brevia habuerunt, quibus se mutuò non sauciarent.*

ANNOTATIO.

Plura exempla adfert Budaeus. Et certe notabilis est haec linguae graecae a latina discrepantia. Quam enim malè dices latinè, nescio num venit, num fecit, nescio utrum ipse est, utrùm ipse me percussit, *tam bene dices graece*, ἀγνοῶ εἰ ἦλθεν. οὐκ οἶδα εἰ ἐλήλυθε. οὐκ οἶδα εἰ πεποίηκεν, εἰ

ἐποίησε. οὐκ οἶδα εἰ αὐτός ἐστι, ἀγνοῶ εἰ αὐτὸς ἔτυψεν ἐμὲ, εἰ ἐτύφθην ὑπ' αὐτοῦ. Dubito num venturus sit, ἀμφισβητῶ πότερον ἥξει, ἢ ἥξεται. *Aristot.* ἐπεὶ οὖν οὐκ ἔχουσι μόρια, οἷς περιλήψονται, ἀντὶ τούτων τῇ ὑγρότητι χρῶνται τοῦ σώματος, cùm non habeant partes, quibus se complectantur, (*ad verbum* complectuntur, *vel* complectentur) harum loco utuntur humiditate corporis. *Latinè dicendum est*, nescio quid fecerit. *Graecus dicet*, οὐκ οἶδα τι πεποίηκεν, ἢ ἐποίησε.

Sedulò porrò praeceptoris erit in explicatione auctorum, et has et alias graecis proprias loquendi formas juventuti diligenter demonstrare, ut, cùm graecè scribendum et loquendum est, id non tantùm faciant graecis vocabulis, sed etiam graeco modo. Quomodo verò graeci indicativo utantur cum particula δυνητικῇ Ἄν, *dictum est jam in grammatica ; et infrà, cùm de conjunctionibus regulas dabimus, breviter repetetur.*

Regula II. Saepe graeci per enallagen indicativum pro optativo ponunt. Demosth. οὐ γὰρ ἐζήτουν οἱ ἀθηναῖοι οὔτε ῥήτορα, οὔτε στρατηγὸν, δι' ὅτου δουλεύσουσιν εὐτυχῶς, ἀλλ' οὔτε ζῆν ἠξίουν, εἰ μὴ μετ' ἐλευθερίας αὐτοῖς ἐξέσται τοῦτο ποιεῖν, *non enim quaerebant athenienses rhetorem vel ducem, per quem feliciter servirent; sed neque vivere* ...

dem volebant, si id illis cum libertate non liceret, pro δουλεύσοιεν καὶ ἐξέσοιτο. Idem: χρῆν δὲ σιτοπομπείαν, ὅπως κομισθήσεται, προϊδέσθαι, *oportebat verò videre, quomodò frumentum veheretur.*

IMPERATIVUS.

Regula I. Imperativus postulat vocativum apud graecos et latinos. Est tamen quando graeci cum nominativo illum jungant. Lucian. οὗτος ὁ πυθαγορικὸς κατάβηθι, καὶ πάρεχε ἑαυτὸν ἀναθεωρεῖν, *tu vita pythagorica descende, et te spectandam praebe.*

Regula II. Utuntur interdum aoristo imperativi pro futuro indicativi. Menandr. οἶδα ὅτι ποίησον, pro ποιήσεις, *scio te facturum.* Eurip. οἶσθ' οὖν ὃ δρᾶσον; pro δράσεις, *scis quid facturus sit?*

OPTATIVUS.

Regula I. Graeci libenter loquuntur per optativum praecedentibus particulis ὅτι, ὥσπερ, ὅς, ὅσοι, ὅτε et ὡς. Liban. ὡς εἴ τις ζητήσας καρπὸν πολὺν παρὰ τῆς Δημήτρος, εἶτα τυχὼν ἄχθοιτο τῇ φορᾷ, *ut si quis copiosum fructum à Cerere petisset, postea, cum impetrasset, proventui indignatus fuisset.*

Regula II. Aliquando praeponitur illi ad-

erbvium optandi εἴθε, aliquando omittitur. Synes. κακῶς ὁ δευρό με κομίσας ἀπόλοιτο ναύκληρος, *malè pereat nauta, qui me huc advexit.* Theocr. εἴθε γενοίμην ἡ βομβεῦσα μέλισσα, καὶ εἰς τὸ σὸν ἄντρον ἱκοίμην, *utinam fierem apis strepera, tuumque in antrum venirem.*

Regula III. Optativus saepe ponitur pro indicativo; et atticorum proprium est optativis uti, ubi natura ad indicativum ferebat, ut ait Budaeus. Plato: ἔλεγες γὰρ, ὅτι Ζεὺς τήν δικαιοσύνην, καὶ τήν αἰδῶ πέμψειε τοῖς ἀνθρώποις, *dixisti enim, quod jupiter justitiam ac verecundiam hominibus miserit.* Xenoph. οἱδ' ἰνδοί εἰσελθόντες ἔλεξαν, ὅτι πέμψειε σφᾶς ὁ ἰνδῶν βασιλεὺς, καὶ κελεύσειεν ἐρωτᾷν, *indi verò ingressi dixerunt, quòd illos miserit rex indorum, et jusserit interrogare,* pro ἔπεμψε καὶ ἐκέλευσε.

SUBJUNCTIVUS.

Subjunctivi magnus est usus apud graecos et latinos in ambigendo dubitandoque. πότερον εἴπω, *utrum dicam.* οὐκ οἰδ' ὅ, τι φῶ, *nescio quid dicere debeam.*

INFINITIVUS.

Regula I. Cum duo verba simul ponuntur absque conjunctione, alterum ponitur

in infinitivo, sicut apud latinos. Lucian. δοκεῖς τι ἀληθὲς λέγειν, *videris quiddam verum dicere.*

Regula II. Infinitivus nominativum habet, cùm in eadem persona oratio subsistit. Lucian. λέγω εἶναι φίλος, *dico me esse amicum.* φησὶν οὗτος ἀμείνων γεγενῆσθαι στρατηγός, *dicit iste se meliorem esse ducem.*

Regula III. Cum verò in eadem persona non persistitur, accusativus adjungitur. Lucian. φημί τούτους μάλιστα ἐπαίνου ἀξίους εἶναι, *dico istos maximè esse laude dignos.*

Regula IV. Aliquando, cùm in eadem persona manet oratio, accusativus adhibetur. Homer. οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐμέ φημι λελασμένον ἔμμεναι ἀλκῆς, *neque verò ego me dico oblitum fortitudinis.*

ANNOTATIO.

Fusius de his Budaeus. Imitati sunt nonnumquam latini hanc secundam regulam. Lucan.

—tutumque putavit Tam bonus esse socer. *Ovid.*

—sed enim quia rettulit Aiax Esse iovis pronepos. *De quibus consule Emmanuelem initio Syntaxeos.*

Regula V. Quando infinitivus et verbum praecedens ad eamdem personam pertinent, non est opus accusativo pronominis. ἔφη π οι-

ἥσειν, *dixit facturum;* nimirum *se.* Plutarch. ὑπέσχετο βοηθήσειν, *pollicitus est* (*se*) *opitulaturum.*

Regula VI. Verbum μέλλω frequenter adjungitur praesenti, aoristis et futuris infinitivi. μέλλω ποιεῖν, *faciam*: ad verbum, *futurus sum facere.* ἔμελλον ποιεῖν, *facturus eram.* ὅταν μέλλῃ εἰσάγειν, ad verbum, *quando futurus est introducere*, id est, *quando introducturus est.* λόγος ὁ μέλλων λεχθήσεσθαι. λόγος ὁ λεχθησόμενος, *oratio recitanda.* μέλλω γενέσθαι, *ero.*

Regula VII. Infinitivum εἶναι, accedente verbo ἐστὶ, vel ἔξεστι, vel ὑπάρχει, vel aliquo simili, dandi vel accusandi casum postulat. ἰσχυροῖς λακεδαιμονίοις εὐθύς ἐστιν εἶναι, *continuò lacedaemoniis fortibus atque robustis esse licet.* Aristid. τῇ τῶν τρόπων πρᾳότητι οὐδέσιν ἄλλοις ὁμοίως ἡμέροις εἶναι δοκεῖν λιπόντες, *mansuetudine morum nullis aliis relinquentes, ut aequè placidi esse videantur.* Demosth. σοὶ δέ συκοφάντῃ εἶναι ὑπάρχει, *tibi licet esse sycophantae.*

Regula VIII. Accusativi participiorum frequenter pro verbis infinitis ponuntur. Demosth. πρῶτον μὲν ἅπαντες μέμνησθε δὶς δεθέντα καὶ κριθέντα, *omnes meministis bis ligatum, bisque condemnatum*, pro δεθῆναι καὶ κριθῆναι.

Regula IV. Cum verbis perseverandi, desistendi, affectionem animi notitiamve signi-

ficantibus, conjungitur participium loco infinitivi. ἀγαπῶν με διατέλει, pro ἀγαπᾷν, *perge me amare*. οὐ παύσομαι φιλῶν, pro φιλεῖν, *non cessabo amare*. μέμνημαι ἰδὼν, pro ἰδέσθαι, *memini videre*. Aristot. λανθάνει πράττων, *latet alios eum hoc facere*, *clàm facit*. Aristoph. λέληθας δουλεύων, *oblitus es te servire*.

Regula X. Idem fit in nonnullis adjectivis cognitionem significantibus. Lucian. δῆλος εἶ συκοφαντῶν, *manifestus es sycophanta*.

Regula XI. Interdum tamen non participium, sed infinitivus praedictis verbis additur. Plutarch. Μέτελλον αἰσθόμενος ἐγγὺς εἶναι (pro ὄντα) ἀνέζευξε, *sentiens Metellum propè adesse*, *castra movit*.

Regula XII. Usurpatur infinitivus frequentissimè pro conjunctivo vel optativo, praecedentibus particulis οἷος, ὅσον, ὡς, ὥστε, πρὶν, ἐφ' ᾧ. Lucian οὐδὲ ὀβολὸν ἔχει, ὥστε πρίασθαι βρόχον, *neque obolum habet*, *ut emat laqueum*. τοιουτός ἐστιν, οἷος μὴ ἥδεσθαι, *talis homo est*, *ut nulla voluptate afficiatur*. οἱ θεοί εἰσιν, οἷοι μὴ μεταβάλλειν, *dii sunt ejusmodi*, *ut numquam mutentur*. Isocrates: πολλάκις γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι, *saepe accidit*, *ut qui potentiores essent*, *ab imbecillioribus vincerentur*.

Regula XIII. Nominativis adjectivorum eleganter adjungunt graeci infinitivum. δει-

νὸς λέγειν, *acer dicere*; id est *acer et vehemens in dicendo*. Aeschyl. δεινὸς γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρον, *etiam ex desperatis exitum reperire potest*. ὀξὺς ὁρᾷν, *acer videre*. βαθεῖα περάσαι, *profunda transire*. ἔμπειρος ἱππεύειν, τοξεύειν, ᾄδειν, *peritus equitare, jaculari, cantare.*

ANNOTATIO.

Hinc illa apud latinos, fortis bellare, prudens intelligere, sapiens providere, *et similia passim apud latinos obvia, maximè apud Horatium.*

Regula XIV. Infinitivus apud graecos ponitur frequenter pro imperativo. Phocyl. μέτρῳ μὲν φαγέειν, πιεῖν, και μυθολογεύειν, pro φάγε, πίε, καὶ μυθολόγευε, *moderatè edito, bibito ac loquere*. Et hoc frequenter fit apud Hesiodum in Εργοις.

ANNOTATIO.

Sunt tamen qui subaudiri velint verbum θέλε, *aut* χρὴ, *aut* προσήκει, *aut aliud simile. Modum hunc loquendi expressit Virgilius* 3. *Georg.*

Aestibus at medijs umbrosam exquirere vallem.

Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus, *subaudi* convenit.

Regula xv. Gerundia latinorum in *di*, *do*, *dum*, itemque supina, supplent graeci per infinitivum, addito interdum articulo, interdum omisso, cum alijs particulis, ut sunt ἕνεκα, χάριν, et cum praepositionibus. Herodian. ἄριστος ἀκοντίζειν, *peritissimus jaculandi.* Lucian. ὥρα ἡμῖν ἀπιέναι, *tempus est abeundi.* Xenoph. ὥρα πορεύεσθαί ἐστι, *tempus est eundi.* δῶκε φέρειν, *dedit ferendum.* Matth. 20: ἐξῆλθε μισθώσασθαι ἐργάτας, *exivit conductum*, seu *conducere operarios.* Plato: ἡδὺ καὶ εὐπετὲς κτήσασθαι, *res comparatu facilis.* Isocrat. ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν, *gratiâ* vel *caussâ augendi rem familiarem.* τοῦ νικᾷν ἕνεκα ἦλθε, *venit vincendi gratiâ.* Aristot. τό πλουτεῖν ἐστιν ἐν τῷ χρῆσθαι μᾶλλον, ἢ ἐν τῷ κεκτῆσθαι, *divitiae magis sunt in utendo, quam in possidendo.* Polyb. εὖ πεφυκὼς πρὸς τὸ διαχλευάζειν, *naturâ aptus ad subsannandum.*

Regula xvi. Gerundia in *dum*, cùm aliquid fieri aut faciendum significant, circumloquuntur graeci per verbalia in έον. λεκτέον, *dicendum*; ποιητέον, *faciendum*; τυπτέον, *verberandum*: quae praeter suum, casum quoque personae recipiunt. οὐ δουλευτέον τούτοις, *non est his serviendum.* Aristot. οὐ ταὐτὰ πᾶσιν ἀποδοτέον, *non eadem omnibus tribuendum est.* Idem: εὐθὺς διαλυτέον τὰς φιλίας, *statim dissolvendum amicitias.*

ANNOTATIO.

Ità enim ad verbum vertitur. Qui modus loquendi latinis quoque placuit. Lucret.
Aeternas quoniam poenas in morte timendum.

Virgil. — alia arma latinis.
Quaerenda, aut pacem trojano à rege petendum. *Vide Emmanuelem in constructione infinitivi, et de participiali in* dum. γραπτέον ἐμοὶ ἐπιστολήν, *ad verbum*, scribendum est mihi epistolam, *pro* scribenda est mihi, *vel* à me epistola.

Regula XVII. Attici in his verbalibus utuntur nonnumquam plurali pro singulari. Lucian οὐκ ἔτι πιστευτέα τῷ νῦν οὐδενὶ, pro πιστευτέον, *non est ampl ùs ulli mortalium fidendum.* πορευτέα εἶναι, *eundum esse*, pro πορευτέον, inquit Budaeus.

Regula XVIII. Aliquando construuntur verbalia haec cum suo substantivo, more adjectivorum. Demosth. λυτέος καὶ οὐκ ἐατέος ὁ τοιοῦτος νόμος κύριος γενέσθαι νῦν, *solvenda est hujusmodi lex, et non permittenda ut se dominam constituat.* Lucian. οὐ παροπτέος ἀνὴρ, οὐδὲ ἀμελητέος, *non despiciendus vir, neque negligendus*: idem: συλληπτέα ὑμῖν ἡ παρθένος ἐστί, *comprehendenda est à vobis virgo.*

Regula XIX. Videntur nonnumquam grac-

ei gerundia et supina circumloqui per participia. Isocrat. ἧκον ἀμυνοῦντες, *veniebant opitulatum.* Apoll. βαῖνον ἐποψόμεναι, *ibant spectatum.* Aristot. ὁ ἡττηθεὶς μαχόμενος, *victus pugnando.* μεταξὺ λουόμενος, *inter lavandum.*

ANNOTATIO.

Haec tamen et similia exempla aliter latinè reddi possunt, nempe: veniebant opitulaturi, ibant spectaturae, victus in pugna. *Et haec de infinitivo.*

CAPUT XVI.

DE CONSTRUCTIONE PARTICIPIORUM.

Usus participiorum in lingua graeca adeò frequens est et elegans, ut non immeritò graeci dicantur φιλομέτοχοι, *id est*, participiorum amantes, *plurima enim, quae nos non nisi periphrasi adhibita pluribus efferre possumus, ipsi unico participio*

venustissimè exprimunt; *quod latinis mirari*, *raró vero imitari licet*, *praesertim pari lepòre et gratiá*: *immo et tunc quoque libenter participiis utuntur*, *cùm aliis verbis aeque commodè et breviter uti possent*: *cujus rei hoc sit exemplum. Demosth.* ὡς γὰρ εἰπεῖν ἁπλῶς, ἅπαντες ἐγνωκότες ὑπάρχειν μοι δοκεῖτε, ut enim uno verbo dicam, omnes videmini mihi cognovisse. *Poterat Demosthenes breviùs dicere*, γνῶναι, *vel* ἐγνωκέναι, *idem*: ὅτι εἴη Νικόδημον ἀπεκτονώς, quòd Nicodemum peremerit. ὅτι ἀπέκτονε, ἢ ἀπέκτανε, *idem*: οὗτος δὲ ἦν ὁ πάντα ταῦτα διοικῶν, *pro* οὗτος πάντα ταῦτα διῴκει, hic omnia administrabat.

Ceterùm cùm ex iis, *quae superioribus capitibus de verbis praecepimus*, *multa participiis sint communia cum verbis*; *supervacaneùm foret*, *hic plures hac de re praeceptiones tradere.*

Regula I. Participia imitantur verborum suorum constructionem, sicut apud latinos. ὀλιγωρῶν τῆς παιδείας, *negligens disciplinae.*

Regula II. Participia, cùm fiunt nomina, genitivum habent, sicut apud latinos. εἰδυῖα πόνου, *gnara laboris.* μάχης εὖ εἰδότε πάσης, *belli scientes.* διδασκόμενος πολέμοιο, *doctus belli.* τόξων εὖ εἰδώς, *sciens jaculorum.*

Regula III. Aliquando adjunguntur participia verbis, ut eorum significationem augeant. οἶδα ἰδών, *videns vidi.*

Regula IV. Interdum abundant participia. ᾤχετ' ἀπιών, *abiit*, vel *abiens abiit*. ληρεῖς ἔχων, *nugaris*. de qua re etiam cap. 2 dictum est.

CAPUT XVII.

DE

CONSTRUCTIONE ADVERBIORUM.

ADVERBIA CUM NOMINE.

Regula I. Adverbia demonstrandi nominativum vel accusativum habent: ἴδε, ἰδού ἤνιδε, *en*, *ecce*. Aesop. ἰδοὺ Ῥόδος, ἰδοὺ πήδημα, *ecce Rhodus*, *ecce saltus*.

Regula II. Genitivum habent adverbia loci, temporis, numeri, ordinis, caussae, similitudinis, separationis, exceptionis, copiae, celandi, et illa omnia quae formantur à nominibus genitivum habentibus, ut sunt comparativa et superlativa et alia quàm plurima, quorum omnium ordine subjiciam exempla. ἐγγὺς τῆς πόλεως, *prope civitatem*. πλησίον τῆς ἀγορᾶς, *prope forum*. εὐθὺ Βα-

βυλῶνος, *rectà Babylonem.* πόῤῥω Διὸς καὶ κεραυνοῦ, *procul à Iove et fulmine.* πρόσθε θυρῶν, *ante fores.* ἔξω τῆς πόλεως, *extra civitatem.* μεταξὺ κινδύνων, *inter pericula.* εὐθὺς τοῦ δείπνου, τοῦ ἀρίστου, *statim à coena, à prandio.* μέχρι vel ἕως τῆς ἑσπέρας, *usque ad vesperam.* πρωῒ τῆς ἡμέρας, *matutino tempore.* ἅπαξ, δὶς, τρὶς, τετράκις τοῦ ἐνιαυτοῦ, *semel, bis, ter, quater in anno.* ἐφεξῆς τοῦ ἑνός, *deinceps post unum.* ἐχομένως τούτων, *post haec.* ἕνεκα τῆς ἀληθείας, εὐδαιμονίας, *propter veritatem, felicitatem.* χάριν τῶν πόνων, *gratiâ laborum.* ἕκατι τοῦ κέρδους, *propter lucrum.* ποταμοῦ δίκην, ἢ πυρός, *instar fluvii, vel ignis.* δίκην μαγείρων, *more cocorum.* δίχα δώρων, *sine donis.* ἄτερθε πόνων, ἀπάνευθε καμάτων, *sine labore.* χωρὶς τῶν ἄλλων, *absque aliis.* πάντα ἔχει πλὴν χρημάτων, *omnia habet exceptâ pecuniâ.* παρεκτὸς μοιχείας, *excepto adulterio.* ἅλις ἁλός, *satis salis.* κρύβδα, vel λάθρα τῶν ἄλλων, *clam aliis.* ἀξίως τῶν προγόνων, *dignè majoribus.* μᾶλλον τῆς φύσεως, *magis quàm natura ferat.* μάλιστα πάντων, *maxime omnium.* ἥκιστα πάντων, *minime omnium.*

Regula III. Dativum habent adverbia congregandi. ἅμα τῇ ἡμέρᾳ, *simul cum die.* ἅμα τοῖς ἄλλοις, *simul cum aliis.* ὁμοῦ τοῖς συμμάχοις, *unà cum sociis.*

Regula IV. Dativum etiam illa poscunt, quae fiunt à nominibus cum dativo jungi

solitis. ὁμοφώνως ἄλλοις, *convenienter aliis.*

Regula V. Sicut nomina nonnulla genitivum et dativum postulant, ita quaedam etiam adverbia, πλησίον σου καὶ σοὶ, *prope te.* ὁμοίως ἀνθρώπου καὶ ἀνθρώπῳ, *similiter homini.* ἐγγὺς τῆς πόλεως, ἐγγὺς τῇ πόλει, *prope civitatem.*

Regula VI. Adverbia jurandi accusativum habent. νὴ τὸν Δία, *ita per Iovem.* μὰ τὸν Ἀπόλλω, *non per Apollinem.*

Regula VII. Si adverbia negandi cum negativis nominibus aliisve negantibus adverbiis conjungantur, magis negant. Plato: οὐκ ἔστιν ἀνδρὶ ἀγαθῷ κακὸν οὐδὲν, οὔτε ζῶντι, οὔτε τελευτήσαντι, *vir bonus nullum malum habet, neque vivus, neque mortuus.*

Regula VIII. Ὦ adverbium vocantis, exclamantis et admirantis graecis, latinis etiam interjectio, conjungitur cum nominativo, genitivo, accusativo et vocativo. ὦ λόγος, *ó sermo.* ὦ φρένες, *ó mens.* ὦ σύνεσις, *ó sapientia.* ὦ ἐπιχειρήματα, *ó argumenta.* ὦ ἁρμονία, *ó concinnitas.* ὦ συνθήκη, *ó compositio.* ὦ τῆς ἐμῆς ἀθλιότητος, *ó meam miseriam.* ὦ τῆς ἀναισχυντίας, *ó impudentia.* Callimach. ὦ ἐμὲ δειλαν, *ó me miseram.* ὦ Ζεῦ, τί λέξω, *ó Iupiter, quid dicam?* Eurip. ὦ μῆτερ, ὦ τεκοῦσα, *ó mater, ó genitrix.*

ANNOTATIO.

Adverbium ὦ oxytonum ajunt esse admirantis, vel dolentis, ὦ perispomenon vocantis, vel exclamantis.

Regula IX. Aliquando solus genitivus ponitur, omisso adverbio. τῆς τυχης, *fortunam*: pro ὦ τῆς τύχης. τῆς ἀσελγείας, τῆς ἀναισχυντίας, *impuritatem*, *impudentiam*: pro ὦ τῆς ἀσελγείας.

Regula X. Graeci in invocationibus vocativo et genitivo utuntur, ubi latini vocativum et accusativum adhibent. ὦ Ἄπολλον, εὐδαιμονίας ὑπερβαλλούσης, *ó Apollo magnam felicitatem.*

Alia alios subinde casus habent, ut φεῦ genitivum. Lucian. φεῦ τῆς ἀλλαγῆς, *hem mutationem.* οἴμοι τῶν κτημάτων, οἴμοι τῶν ἀγρῶν hei mihi ob possessiones, hei mihi ob agros. Cum recto quoque copulatur, οἴμοι κακοδαίμων, *hei misero.*

Regula XI. Vim superlativorum adverbialium augent graeci adjectione harum particularum ὡς, ὅτι, ὡς ὅτι et similium. ὡς βέλτιστα, ὡς ὅτι βέλτιστα, ὅτι βέλτιστα, ὡς οἷόντε ἄριστα, *optimè.* ὡς ἐδύνατο κάλλιστα, *quàm potuit optimè.*

ADVERBIA CUM VERBIS.

Regula I. Adverbia qualitatis frequenter et eleganter construuntur cum verbis ἔχω, διάκειμαι, διατίθεμαι, addito casu illius adverbii. ἀφειδῶς ἔχει χρημάτων, *prodigus est pecuniae*. τῶν ἐν ἀγορᾷ οὐκ ἀπείρως ἔχει, *non est imperitus rerum forensium*. ἀρχαίως ἔχει, *homo antiquae fidei*. εὖ διακείμενος καὶ καλῶς, *bene affectus*.

ANNOTATIO.

Haec et similia latinè exprimi non possunt ad verbum: malè enim dixeris, imperitè habet rerum forensium.

Regula II. Verbum ἔχω admittit nonnunquam adverbium qualitatis, addito genitivo, quem tamen aliàs adverbium non regit. Halicarnass πειράσομαι λέγειν ὡς ἔχω γνώμης, *conabor explicare sententiam meam*. πῶς ἔχεις γνώμης, *quae est tua sententia? quomodo affectus es?*

Regula III. ὡς, ὥστε, ἐπειδὴ, πρὶν, πρὶν ἢ, ὅσον saepe apud graecos cum infinitivo construuntur. οὕτως ἐστὶν ἀπαίδευτος, ὡς μηδὲν εἰδέναι, *tam est imperitus, ut nihil ipse sciat*. ὡς ἔπος εἰπεῖν, *ut verbo dicam*. τηλικοῦτός ἐστιν, ὥστε πάντας ὑπερβάλλειν,

tantus est, ut omnes superet. Isocrat. οὐδενὶ γὰρ τοσαύτην σχολὴν παρέλιπον, ὥστε ἑτέρας συναχθέσθῆναι, *nulli enim tantum otii reliquerant, ut malis alienis afficeretur.* Idem: πολλάκις γέγονεν, ὥστε τοὺς μείζω δύναμιν ἔχοντας, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῆναι, *saepe accidit, ut qui potentiores essent, ab imbecillioribus vincerentur.* πρὶν εἰπεῖν, *priusquam diceret.* Matth. 1: πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *antequam convenirent.* πρὶν Κολχίδα γαῖαν ἱκέσθαι, *antequam in Colchidem venirent.* Plato: ἐπειδὴ γενέσθαι ἐπὶ τῇ οἰκίᾳ Ἀγάθωνος, ἀνεῳγμένην καταλαμβάνειν τὴν θύραν, *postquam verò ad Agathonis aedes venissent, apertas invenisse fores.*

A N N O T A T I O.

Aliqui hîc subaudiri putant verbum συνέβαινε, vel aliud simile. ἐπειδὴ δὲ συνέβαινε γενέσθαι, *est verò haec constructio planè graeca, neque quidquam cum latino more commune habet, quam expressisse videtur Hor. lib. 1 ode* 11: ut meliùs, quidquid erit, pati, idest ut melius. *patiaris Oblinet porrò accusativus hujus modi v m nominativi. Illa enim sententia Isocratis, ubi* ὥστε *cum infinitivo et accusativo jungitur, ita reddi potest:* πολλάκις γέγονεν, ὥστε οἱ μείζω δύναμιν ἔχοντες, ὑπὸ τῶν ἀσθενεστέρων κρατηθῶσι.

Regula IV. Eaedem particulae ὡς, ὥστε saepe etiam cum indicativo et cum optativo et interdum cum subjunctivo construuntur, sicut apud latinos. ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην, *ut vidi, ut insanii*. Halican. ὡς μηδὲν ὑπὸ τῶν ὄχλων βιασθείη, *ne qua illi vis a turba inferretur*. ὥστε μηκέτι πολεμήσωμεν, *ne amplius bellum geramus*. Isocr. τοσοῦτό μου καταπεφρόνηκεν, ὥστε ἐλπίζει ῥαδίως ἐπικρατήσειν, *adeo me contempsit, ut etiam speraret, se me facilè superaturum*.

ANNOTATIO.

Ὡς in adverbiali significatione plerumque indicativum habet. Poterant autem duae proximè antecedentes regulae ad conjunctiones rejici, sed cùm voculae illae in adverbiis quoque numerentur, visum est eas hoc loco ponere.

Regula V. Adverbia hortandi, prohibendi, optandi et similia, eosdem fere modos habent, quos apud latinos. φέρε δή, σκέψασθε, *age, considerate*. Lucian. ἄγετε, εἴπατε, *agite, dicite*. Idem: μὴ ἐνόχλει, *ne sis molestus*. Idem: μὴ κέκραχθι, *ne clama*. Threocr. εἴθε γενοίμην, *utinam fierem*.

Regula VI. Jungitur εἴθε etiam cum accusativo et infinitivo. Phocyl. εἴθε σε μὴ θνητοῖσι γενέσθαι πῆμα ποθεινόν, *utinam non esses mortalibus desiderabile malum*.

Regula viii. Praeponuntur praeterea hae optativae particulae αἴθε, εἴθε et ὡς praeterito imperfecto, ὤφειλον, seu ὄφειλον et aoristo secundo ὤφελον, sive ὄφελον, sequente infinitivo. Homer. 3 Iliad. ἤλυθες ἐκ πολέμου, ὡς ὤφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι, *venisti ex pugna, utinam ibi periisses*. Idem: Αἴθ' ὄφελέστ' ἄγονόστ' ἔμεναι ἀγαμόστ' ἀπολέσθαι, *natus non esses, aut periisses ante matrimonium*.

ADVERBIA CUM ADVERBIIS.

Aliquando conjunguntur adverbia cum adverbiis. Hesiod. νόσφιν ἄτερθε κακῶν, *absque malis*. Aristoph. μάλα σφόδρα. (ad verbum, *valde valde*) *magnopere*. πάνυ σφόδρα, *omnino*.

Aliquando adsciscunt sibi praepositionem. μέχρι πρὸς τὸν ἥλιον, *usque ad solem*.

CAPUT XVIII.

DE CONSTRUCTIONE PRAEPOSITIONUM.

Cum bona pars elegantiae graeci sermonis in recto praepositionum usu sita sit meritò multum operae et studii in illis accuratè explicandis ponitur. Tam variè enim et intra et extra compositionem usurpantur ab auctoribus, ut illarum regulae breviter nequaquam expediri possint. Quo fit, ut nos etiam solito longiores in hoc capite futuri simus. Multa tamen usu et lectione bonorum auctorum cognoscenda praetermisimus. Quis enim omnia regulis concludat? Neque etiam illa, quae jam libro primo hujus grammatices dicta sunt, hic repetenda duximus.

REGULAE GENERALES DE PRAEPOSITIONIBUS.

Regula I. Pleraeque praepositiones praeposito articulo vicem nominis gerunt. οἱ ἐν ἀγρῷ, id est, ἀγροῖκοι, *agrestes*. οἱ ἐκ τῆς Στώας, *stoici*. οἱ πρὸ ἡμῶν, *majores nostri*. οἱ σὺν Ἀντωνίῳ, id est, *Antoniani*. τὸ εἰς ἐμὲ, *officium meum*. Subauditur enim καθῆκον, aut quid simile. οἱ μεθ' ὑμᾶς, *posteri*. οἱ μεθ' ἡμῶν, *praesentes, qui nobiscum vivunt*. τὰ ὑπὲρ γῆς, id est, γήϊνα, *terrestria*. τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, id est, οὐράνια, *caelestia*. οἱ πρὸς ταῖς κύλιξι, *pocillatores, ministri à poculis*. τὰ πρὸς ποσὶν, *obvia*. τὰ ὑπὸ γῆς, *quae sub terra sunt*.

Regula II. Praepositiones migrant in adverbia, quando casus suos amittunt; quod etiam apud latinos contingit. Demosth. καὶ μικρὸν τι πρός, *et aliquid amplius*. Hom. πᾶσα περὶ χθών, *omnis circum terra*. Sic *longo post tempore*, *paucis post diebus*.

Regula III. Saepe subticentur praepositiones, σὴν χάριν λέγω, id est, πρός, *in tuam gratiam dico*.

ANNOTATIO.

De Tmesi aliisque disjunctionibus vel

à suo casu, vel à suo verbo, nihil dicendum est, cum eaedem latinis quoque usitatae sint.

REGULAE SPECIALES
DE PRAEPOSITIONIBUS.

Praepositiones sunt octodecim; ex quibus sex monosyllabae: ἐν, εἰς vel ἐς, ἐκ vel ἐξ, πρὸ, πρὸς, σὺν, atticè ξὺν.

Duodecim dissyllabae: ἀνὰ, κατὰ, διὰ, μετα παρὰ, ἀντὶ, ἐπὶ, ἀμφὶ, περὶ, ἀπὸ, ὑπέρ. Ex his quaedam unum dumtaxat casum, quaedam plures habent, quamvis fere semper diversa significatione.

PRAEPOSITIONES CUM GENITIVO.

Solum genitivum habent ex monosyllabis ἐξ et πρὸ, ex dissyllabis ἀντὶ et ἀπὸ.

EK vel EΞ.

ἐκ vel ἐξ		
	Ex	Ἐξ οἴκου, ex domo. ἐκ καρδίας, ex corde.
	De	*Lucian.* κατεσπάσθη ἐκ τοῦ ἵππου, detractus est de equo.
	A vel Ab	*Theocr.* ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, a Iove ordiamur. ἐκ νηπίου, ab infantia.
	Prae	*Pind.* ἐξ ἄλλων ὁδὸν ταύταν ἐπίστανται, prae aliis hanc viam norunt.

Interdum latinè non exprimitur; quod omnibus praepositionibus commune est. ἐκ πολλοῦ, multo tempore, *quod etiam in verbis nonnumquam accidit.* ἐκμανεὶς, furore percitus.

Interdum exprimitur per adverbium, ἐκ θεοῦ ταῦτα γέγονε, haec facta sunt divinitus.

Componitur cum adverbiis. ἐκ τότε, *ad verbum* ex tunc. ἀπὸ τηλοῦ, a longè.

ΠΡΟ.

πρὸ

- Prae — *Lucian.* Ὅμηρος καὶ Ἡσίοδος πρὸ τῶν πάντων τὸν ὄρχησιν ἐπαινοῦσι, Homerus et Hesiodus prae omnibus saltationem laudant.
- Pro — *Lucian.* πρὸ τῶν κοινῶν κινδυνεύειν, pro communi utilitate periculum suscipere.
- Ante — *Demosth.* πρὸ ἐμοῦ, ante me. πρὸ θυρῶν, ante fores. οἱ πρὸ ἡμῶν, majores nostri. πρὸ τοῖν ποδοῖν, *ante pedes.* πρὸ ὁδοῦ καὶ πρὸ ἔργου, et contractione προὔργου, operae praetium, utilitas, commodum. *Lucian.* πρὸ ὁδοῦ σοι γένοιτο, profuerit tibi, sit felix. οὐδέν ἐστι προὔργου τοῦτο ποιεῖν, non est operae praetium hoc facere.

Solet autem non rarò praepositio πρὸ *in compositione et cum suis casibus, se-*

quente ο *vel* ε, *coalescere in unam syllabam.* προὔλίγου, πρὸ ὀλίγου, paullò ante προὔχω, προέχω, praecedo, praecello. *De quo lib.* 1 *cap.* 13.

In compositione fere servat πρὸ *suum significatum*, προέχω, antecello προκειμένη τιμωρία, poena proposita. προάστειον, suburbium, *ad verbum*, quod est ante urbem.

ANTI.

ἀντὶ	Pro	*Arist.* ἀντ' οἰκέτου, pro famulo, *id est*, vice famuli. ἀντὶ ἀγαθῶν ἀποδιδόναι κακὰ, mala pro bonis reddere.
	Propter Ob	οὐκ οἶδ' ἀνθ' ὅτου, nescio quam ob rem.

In compositione significat pro *et* contra: ἀνθίστασθαι, repugnare, ἀντιλέγειν contradicere. *Item comparationem*: ἀντίθεος, similis deo. *Et vicem*: ἀντευεργετεῖν, ἀντιπελαργεῖν, vicissim beneficium praestare. ἀντίδειπνος, qui alterius loco ad coenam venit. ἀντίδικος, adversarius in lite, litigans contra alium. ἀντιδικία, contra litigatio.

ΑΠΟ.

ἀπὸ	E *vel* Ex	τὴν θάλατταν ἀπὸ τῆς γῆς ὁρᾶν, mare è terra intueri. ἀπὸ συνθήματος, ex compacto, ex composito.
	A, Ab	ἀπὸ τῆς κεφαλῆς: a capite. ἀπ' ἀρχῆς, ab initio.

ἀπὸ	Per	*D. Chrysost.* κατελύθη πόλεμος ἀπὸ προσευχῆς, per preces bellum solutum est.
	Absque	*Plutarch.* ἡ ἀπ' ἀνδρὸς οὖσα, quae absque marito est. οὐκ ἀπὸ τρόπου, οὐκ ἀπὸ πράγματος, non abs re.

In compositione idem fere significat quod extra compositionem, ut usus te docebit.

DATIVUS CUM PRAEPOSITIONE.

Solum dativum postulant duae praepositiones monosyllabae, ἐν et σύν.

E N.

ἐν	In	ἐν οὐρανῷ, in caelo.
	Inter	*Plutarch.* τοῦτο ἐν οἴνῳ ἐγένετο, hoc inter pocula accidit.
	Penes	*Demosth.* ἐν γὰρ τῷ θεῷ τὸ τούτου τέλος ἦν, οὐκ ἐν ἐμοί, hujus rei exitus penes deum, non penes me erat.
	Cum	*Xenoph.* ἐν πέλταις καὶ ἀκοντίοις, cum peltis et spiculis.

Construitur interdum ἐν *cum genitivo, sed per ellipsin. Hesiod.* ξενιῶ σε οὐκ ἐν ἐμαυτοῦ, ἀνδρὸς ἀγαθοῦ, *subauditur* οἴκῳ, ex-

eripiam te non in mea, sed in boni viri domo.

Sic latinè, in Veneris, in Dianae, *subintelligitur* aede, templo.

Praepositio ἐν *saepe ponitur pro* εἰς. *Sophocl.* θρασὺς ἐν ἐμοί, *pro* εἰς ἐμέ, audax in me, contra me. *Sic in Evang. Luc* 7: ἐξῆλθεν ὁ λόγος οὗτος ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ περιχώρῳ, *pro*, εἰς ὅλην τὴν Ἰουδαίαν καὶ πᾶσαν τὴν περίχωρον.

Rursus εἰς *ponitur pro* ἐν. *Herodot.* τὸν θρόνον εἰς ὃν προκαθίζων ἐδίκαζεν: εἰς ὃν pro ἐν ᾧ, thronus in quo praesidens judicabat. *Aristoph.* κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ κράτιστόν ἐστι, optimum est, ut eum in Aesculapii templo reclinemus.

ΣΥΝ.

Σὺν *respondet latinae praepositioni* cum. σὺν θεῷ, cum Deo. *Saepe omittitur in latina interpretatione.* σὺν χάρισι, gratiis faventibus, σὺν θεῷ, deo volente.

In pronomine αὐτὸς *saepe intelligitur praepositio* σύν. *Lucian.* ἀποτεμὼν αὐταῖς ἀλεναις τὰ πτερά, *id est*, σὺν αὐταῖς, unà cum alis amputans pennas.

ACCUSATIVUS CUM PRAEPOSITIONE.

Solum accusativum habent εἰς, atticè ἐς, et ἀνά.

Ε Ι Σ.

	Significatio	Exempla
εἰς	In	εἰς οἶκον εἰσελθεῖν, intrare in domum. εἰς οὖς λέγειν, in aurem dicere.
	In, *id est*, Erga	*Xenoph.* τῇ ὑμῶν εἰς ἐμὲ εὐνοίᾳ, vestrae erga me benevolentiae.
	Ad	εἰς Ἀγαμέμνονα δῖον, ad Agamemnonem dium.
	Apud	*Paus.* διαβεβλημένος εἰς τοὺς μακεδόνας, apud macedones infamatus.
	Ad, *id est*, Circiter	εἰς τριακοσίους, ad trecentos.
	Ob, propter	*Aristot.* εἰς δικαιοσύνην ἐπαινεῖται, laudatus propter justitiam.
	Contra	εἰς τοὺς σοφιστάς, contra sophistas.

Ponitur cum genitivo per ellipsin. εἰς διδασκάλου, *pro* εἰς οἰκίαν διδασκάλου, in domum praeceptoris.

Α Ν Α.

	Significatio	Exempla
ἀνά	Per	ἀνὰ πόλιν, per urbem.
	In	ἀνὰ στρατόν, per exercitum.
	Adversus	ἀνὰ Ἑλλάδα, per Graeciam.
	Contra	ἀνὰ στόμα ἔχειν, in ore habere. *Herodot.* ἀνὰ ποταμὸν πλέειν, contra fluvium navigare.
	Singuli	*Matt.* 20. ἔλαβον ἀνὰ δηνάριον, acceperunt singuli denarium.

Poëtice jungitur cum dativo. Homer. χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ, aureo cum sceptro. ἀνὰ βωμοῖς, super aris.

GENITIVUS ET ACCUSATIVUS

CUM PRAEPOSITIONE.

Genitivum et accusativum habent istae quatuor praepositiones : διὰ, μετὰ, ὑπέρ.

διὰ *cum genitivo*	Per	*Plutarch.* διὰ βίου, per totam vitam. διὰ γῆς καὶ θαλάττης, per terram et mare.
	Ex	*Plutarch.* δι' ἀλφίτου πεποιημένος, ex farina confectus.
	In	*Halican.* διὰ χειρὸς ἔχειν, in manu habere.
	Post	δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων παρεγενόμην, post annos multos adveni.
διὰ *cum accusativo*	Propter	διὰ τί; propter quid?
	Per	διὰ νύκτα μέλαιναν, per atram noctem. *Homer.* διὰ τ' ἔντεα καὶ μέλαν αἷμα, per arma et nigrum sanguinem.
	A, Ab	*Demosth.* διὰ θεοὺς ἐσώθην, servatus sum à diis.

M E T A.

Μετὰ *cum genitivo*, cum. μετὰ σοῦ, tecum. μετὰ μαινομένων μαίνεσθαι, cum insanientibus insanire.

Interdum jungitur dativo. Lucian. Ὀρφεὺς μετὰ χερσὶν ἔχων τὴν λύραν, Orpheus manibus lyram tenens. *Homerus:*

καὶ τὰ μὲν εὖ δάσσαντο μετὰ σφίσιν υἷες ἀχαιῶν,

Et illa quidem rectè interse diviserunt graeci.

μετὰ cum accusativo.	Post	μετὰ ἡμέρας ὀκτώ, post dies octo.
	Ad	*Homer.* μετὰ δαίμονας ἄλλους, ad alios deos.
	In	*Thucyd.* ἃ μετὰ χεῖρας ἔχοι, quae in manibus haberet.
	Propter	*Homerus.* ἐὸν μετὰ κάλλος, propter suam pulcritudinem.

K A T A

κατὰ cum genitivo	De	κατὰ τῶν πετρῶν ῥίπτειν, de saxis dejicere.
	Contra	κατὰ σοφιστῶν λέγειν, contra sophistas dicere.
	Per	*Matth.* 26. κατὰ τοῦ Θεοῦ ἐξορκίζω σε, adjuro te per Deum.
	Post	κατὰ νώτου, post tergum, à tergo.
	In	κατὰ πετρῶν σπείρεις, seris in petris.

κατὰ cum genitivo.	Sub	ἔδυ κατὰ τῆς γῆς, sub terram descendit.
κατὰcum accusativo	Secundùm	Ε'υαγγέλιον κατὰ Γωάννην, evangelium secundùm Ioannem.
	Iuxta	*Thucyd.* ὁ κατὰ τοὺς ἐκεῖ, qui juxta illos erat.
	Pro	κατ' ἀξίαν, pro dignitate. κατὰ δύναμιν, pro viribus.
	In	κατ' ἀγοράν, in foro.
	A	κατὰ νῶτον, a tergo.
	Per	κατ' αὐτό, per se. κατὰ συμβεβηκός, per accidens.

Υ Π Ε Ρ.

ὑπὲρcum genitivo.	Supra	ἔστη ὑπὲρ κεφαλῆς, supra caput adstitit.
	Super	*Halican.* ὑπὲρ ἧς διαλέξομαι ἐν οἰκείῳ τόπῳ, de qua dicam proprio loco.
	De	
	Ultra *vel* Supra	*Herodot.* ὑπὲρ τῶν κήπων ὄρος κέεται. Ultra, *vel* supra hortos mons est.
	Pro	ὑπὲρ ἐμοῦ, pro me. ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis.
ὑπὲρ cum accusativo.	Supra Ultra	*Lucian.* τοὺς καλδαίους ὑπὲρ τὰ ἑκατὸν ἔτη βιοῦν, λόγος, fama est caldaeos supra, *vel* ultra centum annos vivere.

ὑπὲρ cum accusat.	Per	*Apollon.* ὑπὲρ ἅλα ναυτίλλεσθαι, navigare per mare.
	Praeter	*Homer.* ὑπὲρ μόρον, praeter fatum, *vel* contra fatum.

GENITIVUS, DATIVUS
ET ACCUSATIVUS
CUM PRAEPOSITIONE.

Genitivum, dativum et accusativum habent sex istae praepositiones: πρὸς, παρὰ, πρὸ, ἐπὶ, ἀμφὶ, περί.

ΠΡΟΣ.

πρὸς cum genitivo	A, Ab	πρὸς Θεοῦ τὰ ἀγαθά, a Deo sunt bona.
	Ex, De	ἔπεσε πρὸς οὐρανοῦ, cecidit ex caelo.
	Coram	*Synes.* πρὸς Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων ἀναίτιος, innocens coram Deo et hominibus.
	Contra	*Halican.* πρὸς ἐχθροῦ ἐπιφέρων τὴν ψῆφον, suffragium ferens contra inimicum.
	Per	*Aristoph.* πρὸς Διὸς φράσον, dic per Iovem.

πρὸς cum dativo.	Ad	πρὸς τούτοις, ad haec. *Lucian*. πολλοὶ ἔκειντο ὀβολοὶ πρὸς τοῖν ποδοῖν αὐτοῦ, multi oboli jacebant ad pedes ejus.
	Contra	*Sophocl.* πρὸς Ἀτρείδαισιν ἤχμασας χεῖρα, contra Atridas armasti manum.
	Apud	*Plutarch.* πρὸς ἑαυτῷ, apud se, secum.
	Sub	*Lucian.* πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου, sub finem vitae.
πρὸ cum accusativo.	Ad	πρὸς τὸν Θεὸν, ad Deum.
	Apud	*Lucae* 9: ἕως πότε ἔσομαι πρὸς ὑμᾶς; quousque ero vobiscum?
	Prae	*Plato*: σμικρὰ ἂν εἴη πρὸς ταῦτα, parva fuerint prae his.
	Contra	πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, ne calces contra stimulum.
	Erga	*Lucianus*: ἡ πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπία, humanitas erga peregrinos.
	Cum	*Halican.* σπονδὰς ποιεῖται πρὸς αὐτοὺς, foedus cum illis facit.
	In	*D. Basil.* πρὸς τὸ χεῖρον ἐπιῤῥεῖ, in pejus ruit.

Inter	*Isocrat.* τῆς πρὸς ἡμᾶς φιλίας τεκμήριον, amicitiae inter nos signum.
Secundùm	*Aristot.* πρὸς τὸ πνεῦμα πέτονται, volant secundùm ventum.
Pro	πρὸς τὸ ἀξίωμα, pro dignitate.

ΠΑΡΑ.

παρὰ cum genitivo.	A, Ab Ex	παρὰ Θεοῦ, a Deo. παρὰ πατρός, a patre. *Xenoph.* λέγειν ταῦτα παρ' ἐμοῦ, haec illi ex me dicere.
	Prae, Supra	*Eurip.* ἔχει τίν' ὄγκον Ἄργος ἑλλήνων παρά, habet Argos aliquid eminentiae prae ceteris graecis.
παρὰ cum dativo.	Apud Inter In	παρ' ἐμοί, apud me. παρ' οἴνῳ, inter pocula. *Plutarch.* παρὰ τοῖς ἐμφυλίοις πολέμοις θνήσκειν, in civilibus bellis mori.
παρὰ cum accusat.	Ad	*Lucian.* ἄπιθι ἐς τὴν Φρυγίαν παρὰ τὸν Πριάμου παῖδα, abi in Phrygiam ad filium Priami.

ϖαρὰ cum accusativo.	Apud Cum	ἀεὶ κολοιὸς ϖαρὰ κολοιόν, graculus semper est apud graculum: *vel*, graculus cum graculo facilè congregatur.
	Iuxta	ϖαρὰ τὴν ὁδὸν, juxta viam.
	Praeter	ϖαρὰ τὴν φύσιν, praeter naturam.
	Inter	*Halicarn.* ϖαρὰ τοὺς κινδύνους, inter pericula.
	Propter	παρ᾽ οὐδὲν ἕτερον, propter nihil aliud.
	Contra	ϖαρὰ πάντα τὰ δίκαια, contra omnia jura.

ΥΠΟ.

ὑϖὸ cum genitivo.	Sub	ὑϖὸ χιτῶνος, sub tunica.
	A *vel* Ab	ὑϖὸ τοῦ ϖυρὸς καταναλίσκεται, ab igne consumitur.
	Ex, De	ὑϖὸ συνθήματος, ex composito, de compacto.
	Per	*Herodot.* ὑϖὸ κήρυκος ϖροηγόρευσε τοῖσιν ἴωσι, per praecones edixit ionibus.
	Prae	ὑϖὸ σπουδῆς, prae diligentia.

ὑπὸ cum dativo.	Sub	*Lucian*, ὑπὸ τῇ λεοντῇ γελοῖόν τινα πίθηκον περιστέλλει, sub pelle leonina ridiculam tegit simiam.
	Coram	λέγω δὲ ὡς ὑπὸ Θεῷ μάρτυρι, dico verò tanquam coram Deo teste.
	Ex	*Halicarn.* ὑπὸ τραύματι ἐταλαιπώρει, malè habebat ex vulnere.
	Cum	*Plut.* ὑπὸ φωτὶ πολλῷ *pro* κατὰ φωτὸς πολλοῦ, multo cum lumine.
ὑπὸ cum accusativo.	Ad	*Hom.* αἴσχιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθε, omnium turpissimus ad Trojam venit.
	Infra	*Lucian.* ὁ μὲν ὑπεράνω, ὁ δ᾽ ὑπ᾽ αὐτόν, alter superiùs, alter infra ipsum.

Ε Π Ι.

ἐπὶ cum genitivo.	Super	*Xenoph.* ἐφ᾽ ἵππου χρυσοχαλίνου, super equo aurei freni.
	In	ὀρχούμενος ἐπὶ τῶν θεάτρων, saltans in theatris.
	Coram	*Lucian.* ἐπὶ τοσούτων μαρτύρων, coram tot testibus.

ἐπὶ cum genitivo.	Sub	ἐπὶ Κρόνου, sub Saturno
	Ad	*Lucian.* ἐπὶ σκοποῦ τοξέυειν, ad scopum jaculari.
	Versus	ἐπ' οἴκου, domum versus.
	Penes	*Halicarn.* ἐπὶ τοῦ δήμου ἔστω, sit penes populum.
	Per	ἐπὶ σχολῆς, per otium.
	Cum	*Halicarn.* ἐπὶ πολλῆς ἐξουσίας, magna cum potestate.
	Erga	*D. Chrysost.* ἐπὶ τῶν δεομένων πρᾶος, mitis erga gentes.
ἐπὶ cum dativo.	Super	ἐπὶ πίνακι, super tabula, *seu* disco.
	Penes	*Xenoph.* ἐπὶ σοι ἔσται, penes te erit.
	Ad	*Thucyd.* ἦν ἐπὶ ποταμῷ, erat ad fluvium.
	In	*Halicarn.* ἐγένοντο ἐπὶ τῇ πόλει κινήσεις, seditiones ortae sunt in urbe.
	Post	τίς πρῶτος, τίς δὲ ἐπὶ πρώτῳ; quis primus, et quis post primum?
	Praeter	*Xenoph.* ἐπὶ τῷ σίτῳ, οὐδὲν ἄλλο ἔχειν, praeter victum nihil aliud habere
	Propter	*Xenoph.* ταύτα ποιεῖν ἐπὶ τῷ κέρδει, haec facere propter lucrum.

★

ἐπὶ cum accusativo.	Super	καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν, sedere super focum.
	Supra	Theocr. πλατεῖα δὲ ῥὶς ἐπὶ χείλη, latus nasus supra labra.
	Ad	ἐπὶ δεξιὰν, ad dextram.
	Versus	ἐπ' οἶκον, domum versus.
	Adversus, Contra	Isocr. ἐπὶ τοὺς ἀνταγωνιστὰς ἀσκεῖν, exercere contra antagonistas.
	In	ἐπὶ γλῶσσαν ἐλθεῖν, in buccam venire.
	Propter	Xenoph. πρὸς σε ἦλθον ἐπ' ἀργύριον, veni ad te propter argentum.

Α Μ Φ Ι

ἀμφὶ cum genitivo.	Circa	Herodot. τοῖς ἀμφὶ ταύτης τῆς πόλιος οἰκέουσι, iis qui circa hanc civitatem habitant.
	De	Lucian. ἀμφὶ δὲ οὐρανοῦ ἡ γραφή, sermo erit de caelo.
	Per	Apollon. Φοίβουτ' ἀμφὶ, καὶ αὐτῆς εἵνεκεν Ἥρας λίσσομαι, per Apollinem, et ipsius Iunonis gratiâ te rogo.

ἀμφὶ cum dativo.	Circum	*Homer.* ἀμφὶ πόδεσσι ἀράρισκε πέδιλα, circum pedes aptabat talaria.
	Apud	*Sophocl.* ἀμφί σοι, apud te, *vel* tecum.
	propter	*Lucian.* ἀμφί αὐτῇ, propter ipsam.
	Contra	*Sophocl.* ἀμφ' Ὀδυσσεῖ, contra Ulyssem.
	Circa	*Lucian.* ἀμφὶ δέ μιν ζῶα μυρία ἕστηκεν, innumerabiles circa illum steterunt bestiae.
ἀμφὶ cum accusativo.	Circiter	*Lucianus*: ἡμέρα ἤδη ἀμφὶ τὸ λυκαυγὲς, circiter diluculum est.
	De	*Halicarn.* νόμους τοὺς ἀμφὶ θυσίαν κατασταθέντας, leges de sacrificiis latas.

Articulus pluralis cum praepositione περί, vel ἀμφὶ, idem est quod proprium nomen solum. οἱ περὶ Πρίαμον, *Priamus.* οἱ περὶ Παῦλον. *Paulus.* Hom. οἱ ἀμφὶ Πρίαμον καὶ Πάνθοον, *Priamus et Panthous.* οἱ ἀμφὶ, οἱ περὶ Πρίαμον, et similia construuntur cum verbo singulari, eo quòd sub voce plurali unum tantùm significet haec locutio. Herodot. καὶ οἱ ἀμφί Πεισίστρατον ἀπικνέεται ἐπὶ Παλληνίδος Ἀθηναίης ἱερὸν, καὶ ἀντία ἔθετο τὰ ὅπλα, *Pisistratus venit ad tem-*

plum Palladis Palleniae, *et è regione posuit arma.* Vide Budaeum.

Aliquando tamen significant istae locutiones comitatum vel socios, οἱ ϖερὶ Καίσαρα, *qui sunt partium Caesaris.* Act. 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον, *socii Pauli.*

Π Ε Ρ Ι.

ϖερὶ *cum genitivo*	Circum	*Homer.* ϖερὶ σπείους, circum speluncam.
	De	ϖερὶ ψυχῆς, de anima.
	Pro	ϖερὶ ψυχῆς μάχεσθαι, pro vita pugnare.
	A, Ab	*Lucian.* μεγάλην εἴληφε ϖερὶ θεῶν τιμὴν, honorem magnum accepit à diis.
	Propter	*Ioan.* 10: ϖερὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, ἀλλὰ ϖερι βλασφημίας non ob, *vel* propter bonum opus lapidamus te, sed propter blasphemiam.
	Prae	*Halicarn.* ϖερὶ ἁπάντων, prae omnibus.
ἐπι *cum dativo.*	Apud	*Plutarch.* πολλοὺς ἀπέβαλον ϖερὶ ταῖς ἁμάξαις, multos amiserunt apud currus.
	Circa	*Xenophon:* ϖερὶ τῇ δέρῃ, circa collum.
	Ex	*Homer.* ὃν ϖερὶ κηρὶ φίλει, quem ex animo amabat.

ἀμφὶ cum accusativo.	Apud	*Lucian.* καταράτους ἀνθρώπους εἶχε περὶ αὐτὸν, habebat apud se homines execrandos.
	Ad	*Lucian.* ὡς ἔλθοιμι τοὺς φιλοσόφους, quomodo venissem ad philosophos.
	In	τὰ περὶ ψυχὴν, illa quae sunt in animo.
	Circa	*Aristot.* περὶ τὰ φοβερὰ ἡ ἀνδρεία, fortitudo est circa terribilia.
	Circiter	*Xenoph.* περὶ ἀρίστου ὥραν, circiter horam prandii.
	Erga	*Halicarn.* χρηστὸς περὶ ἡμᾶς ἀνήρ, vir benignus erga nos.

CAPUT XIX.

DE

CONSTRUCTIONE

CONJUNCTIONUM.

Regula I. Conjunctiones copulativae et disjunctivae eodem fere modo, quo apud latinos, construuntur.

Regula II. Construitur εἰ cum quovis tempore indicativi modi. Cum praesenti. Lucian. εἰ ἐθέλεις ὑπέραστος εἶναι, *si vis amabilis esse.* Cum imperfecto. Ioan. 8 εἰ ὁ θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ, *si Deus pater vester esset, utique me diligeretis.* Cum perfecto. πειρᾷς μου εἰ μέμηνα, ad verbum, *tentas me si insanivi, tentas me num insaniam.* Isocrat. τινὲς ἐκείνους ἐλογοῦνται, οὓς οὐκ ἴσασιν εἰ γεγόνασι, *quidam illos laudant, quos, utrum nati sint, ignorant.* Cum futuro. Lucian. οὐκ οἶδα εἰ γαμήσεις ἔτι, *nescio num ducturus sis amplius uxorem.* Cum aoristo secundo. Lucian. εἰ καί τι ἥμαρτον, σύγγνωθί μοι, *si quid peccavi, igno-*

sce mihi. Cum aoristo primo. ἀγνοῶ εἰ ἔτυψεν, *ignoro num verberaverit.*

Regula III. Conjungitur eadem particula εἰ cum optativo et subjunctivo. Demosth. τῶν ξένων εἰ μετάσχοιεν, *si peregrinorum essent participes.* Lucian. εἴσῃ, εἴ σοι προσέλθῃ μόνον, *scies, si tantùm te adierit.* Homer. εἰ δὲ καὶ μὴ δώσωσι, *si non dederint.*

Regula IV. Eosdem modos habent ἐὰν, ἢν, ἂν, ἵνα, ὡς, ὥστε, ὅπως, μὴ, et similes conjunctiones, quarum exempla passim sunt obvia. κἂν verò fere conjunctivo gaudet.

Regula V. Conjunctio ἂν dupliciter usurpatur: primo δυνητικῶς, id est, ut potentiam et facultatem significet: secundò ἀοριστολογικῶς, id est, indefinitè et indeterminatè. Primo modo conjungi potest cum omnibus modis et temporibus; secundo modo plerumque conjunctivum habet. ὅ, τι ἂν λέγῃς, *quodcumque dicas.* ὅσῳ ἂν διαφέρῃς, *quantumcumque differas.* Interdum etiam optativum. ἡνίκ' ἂν εἰπεῖν τι κατὰ τούτων δέοι, *cum oporteret quidpiam dicere adversus haec.* De particula ἂν multa jam diximus libro primo.

Regula VI. ὅταν, ὁπόταν, *quando, siquando*; ἐπὰν, ἐπειδὰν, *postquam, si*, cum conjunctivo plerumque junguntur. Demosth. χαίρομεν ὅταν τὶς ἐπαίνῃ τοὺς προγόνους ἡμῶν, *gaudemus cum quis majores nostros laudat.* ἐπεὶ et ἐπειδὴ, *postquam*, indicativum habent.

ὅτι, *quòd,* habet indicativum et conjunctivum.

Neque verò plura dicenda videntur de conjunctionibus, cùm earum cognitio non tàm regulis quàm usu et lectione egeat, vixque fieri possit, ut juventus minutias illas grammaticas de conjunctionibus memoriae mandet.

CAPUT XX.

DE CONSTRUCTIONE FIGURATA.

Sicut apud latinos, ita apud graecos tres virtutes oratio habere debet; ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit; quibus virtutibus totidem vitia contraria sunt: nam emendatae, barbara; dilucidae, obscura; ornatae, inornata adversatur.

DE SOLOECISMO

ET BARBARISMO.

De his, cùm ab Emmanuele optimè explicentur, nihil hîc dicendum arbitramur; maximè cùm iisdem ferme modis soloecismus et barbarismus committantur in graeca lingua, quibus in latina. Illud verò diligenter cavendum est, ne si quid in auctoribus graecis occurrat, quod solaecismi vel barbarismi speciem prae se ferat, continuò solaecismum barbarismumve ab illis admissum pronuntiemus. Non enim soloecismi, sed soloecophane dici solent illa, quae non ex ignorantia, sed de industria, vel ex quadam docta incuria à magnis auctoribus sunt scripta, cujusmodi plurima occurrunt apud graecos; ut illud Aristotelis: οἱ δὲ οὐδὲ τοῖς συνδικμένουσιν ἐν ταῖς ἀτυχίαις ἀξιοῦσι πιστεύειν, ὡς ἐξαπατῶντας καὶ προσποιουμένους, alij ne iis quidem, qui in rebus adversis nobiscum permanent, credendum existimant, quippe qui simulent et decipiant. *Recta constructio exposcebat*, ὡς ἐξαπατῶσι καὶ προσποιουμένοις. *Demosth.* οὐ προσεκτέον ὑμῖν ἐστι τοῖς τούτων λόγοις, εἰδότας, ὅτι ἐκ πάντων τούτων, *etc. pro* εἰδόσι. Non attendendum est horum sermonibus à vobis, scientes, *pro*

scientibus. *Isocrat.* δεόμεϑα οὖν ὑμῶν, ἄνδρες ἀθηναῖοι, μετ' εὐνοίας ἀκροάσασϑαι τῶν λεγομένων ἐνϑυμουμένους. *Ubi à genitivo ad accusativum contra communem regulam fit transitus. Cujusmodi alia multa exempla adfert Budaeus, ut sunt illa Sophoclis de duobus sororibus loquentis:* ἴδεσϑε τώδε τὼ κασιγνήτω, videte duas sorores, *pro* τὰ κασιγνήτα. *Et paullò pòst:* ψυχῆς ἀφειδήσαντε, vitae prodigae, *pro* ἀφειδησάσα. *Et* τηλικοῦτος, *epithetum Electrae et alia multa. Sed, his omissis, figuras, quae et verbis et orationi ornamento sunt, breviter attingamus, quia graecis fere cum latinis sunt communes.*

ENALLAGE.

Enallage est, cùm una orationis pars pro alia, vel attributum pro attributo ponitur. Cujus rei passim jam in toto hoc libro, et in primo quoque, varia exempla adduximus. Nam et nomina pro adverbiis, et haec cum articulo pro illis; et praepositiones cum articulo pro nomine et saepe, quamvis sine articulo, pro adverbiis, itemque participia pro nominibus usurpantur. Modus item cum modo permutatur, et saepe tempus cum tempore; itemque genus cum genere, et casus cum casu, et numerus cum numero.

ECLIPSIS.

Eclipsis figura est, cùm id, quod in oratione deest, foris omnino petendum est. Iulianus: ἐγὼ δὲ εἰ καὶ Δαίδαλον τῆς τέχνης ἐπαινῶ, τῆς γνώμης οὐκ ἄγαμαι, assumendum est foris ἕνεκα. *Ego verò etiamsi Daedalum propter artem laudem, animum tamen illius non probo.* Lucian. ὡς βαθὺν ἐκοιμήθης, ὦ τέκνον, subauditur ὕπνον. *Quam profundum dormivisti somnum, ô fili.*

Patet autem haec figura latissimè, ac fere per omnes orationis partes manat, sicut apud latinos, ejusque satis multa exempla passim toto hoc libro sunt allata.

ZEUGMA.

Zeugma figura est, cùm id, quod in oratione desideratur, è proximo assumitur, manente eodem genere, numero, casu, ceterisque attributis. Isocrat. Τελαμῶνος μὲν Αἴας καὶ Τεῦκρος ἐγενήθη, Πηλέως δὲ Ἀχιλλεύς, *Telamone Aiax et Teucer natus est, Peleo autem Achilles.* Quòd si quis hoc exemplum omnibus numeris explere velit, dicendum erit: Τελαμῶνος μέν ἐγενήθη Αἴας, καὶ Τελαμῶνος ἐγενήθη Τεῦκρος, καί Πηλέως ἐγενήθη Ἀχιλλεύς. Anacreon: ἱερὸν γάρ ἐστι Φοίβου κιθάρη, δάφνη, τρίπους τε, *sacra enim*

Phaebo sunt cithara, laurus, tripus. Oratio haec explenda est, ut prior, repetitione verbi ἐστὶ ad singulos rectos. Aristot. ἔοικε καὶ τὴν μορφὴν γυνὴ καὶ παῖς, *similis est formâ mulier et puer.*

SYLLEPSIS.

Syllepsis est, cum id, quod in oratione deest, è proximo assumitur, mutato tamen genere aut numero, aut casu, aut aliquo è ceteris accidentibus. Homer. παρθενικαί δὲ καὶ ἠΐθεοι ἀπαλὰ φρονέοντες, *virgines et juvenes teneri.* Theodor. πενία καὶ πλοῦτος ἀναγκαῖα τῷ βίῳ, *paupertas et divitiae necessaria sunt vitae.* Homer. — ἄλοχοι καὶ νήπια τέκνα εἵαται ἐν μεγάροις ποτιδέγμεναι, *uxores et liberi sedent in aedibus exspectantes.* Aristot. ἀὴρ καὶ ὕδωρ καθ' ἑαυτὰ τῇ φύσει λευκά, *aer et aqua suapte naturâ alba sunt.* αἱ δυναστεῖαι, καὶ ὁ πλοῦτος, διὰ τὴν τιμήν ἐστιν αἱρετά, *potestas et divitiae propter honorem expetendae sunt.*

ANNOTATIO.

In his similibusque exemplis, ut oratio suis numeris plena sit, necessariò genus et numerus mutanda erunt. παρθενικαὶ ἀπαλὰ φρονέουσαι, tenerae virgines. καὶ ἠΐθεοι ἀπαλὰ φρονέοντες. ἀὴρ καθ' ἑαυτὸν τῇ φύσει

λευκός ἐστι, καὶ ὕδωρ καθ' ἑαυτὸ τῇ φύσει λευκόν ἐστι, *et sic de ceteris.*

PROLEPSIS.

Prolepsis est, cùm dictio aliqua totum significans praecessit, quae rursum in partibus intelligitur, neque explicatur. Lucian. ὁμοπάτριοι πολλάκις ἐκ μιᾶς γαστρὸς, ὁ μὲν ἄρσην, ἡ δὲ θήλεια γίνονται, *saepe numero ex eodem patre, eademque matre, nascuntur alter masculus, altera femina.* ἀετοὶ δύο ἔπτησαν, ὁ μὲν ἀπ' ἀνατολῶν, ὁ δὲ ἀπὸ δυσμῶν, *duae aquilae volarunt, altera quidem ab Oriente, altera ab Occidente.* Aristot. ἔχουσιν ὁ μὲν αἴσθησιν, ὁ δὲ ἐπιστήμην, *habent alter sensum, alter scientiam.*

ANNOTATIO.

In his exemplis dictio totum significans est ὁμοπάτριοι, *partes* ἄρσην καὶ θήλεια, *ubi rursus* ὁμοπάτριος ἄρσην, ὁμοπάτριος θήλεια, *dicendum erit, si orationem velis integram efficere; quod etiam in altero exemplo faciendum est,* ὁ μὲν ἔπτη ἀπὸ ἀνατολῶν, ὁ δὲ ἔπτη ἀπὸ δυσμῶν.

Et hic finis sit Syntaxeos. Nam quae orationem inornatam et obscuram reddunt, ut Cacophaton, Tautologia, Macrologia, Pleonasmi, Hyperbata cum suis specie-

bus, studiosus adolescens apud Emmanuelem exactè explicata reperiet; cumque à graecis nihil omnino differant, non est quòd hic inutiliter repetantur.

INDEX CAPITUM.

INDEX
CONSTRUCTIONUM.

A

B

C

D

E.

H

I

K

*

L

M

N

P

S

T

V

Υ

